



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

Liber Quintus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12945

M. FAB. QUINTILIANI
DE
INSTITUTIONE ORATORIA
LIBER QUINTUS.

PROLOGUS.

Fuerunt, & clari quidem auctores quibus solum videretur oratoris officium, docere. Namque & affectus duplici ratione excludendos putabant: ¹ primum, quia vitium esset omnis animi perturbatio: deinde quia iudicem à veritate depelli misericordia, vel ira, similibusque, non oporteret, & voluntatem audientium petere, cum vincendi tantum gratia diceretur, non modo agenti supervacua, sed vix etiam viro dignum arbitrabantur. ² Plures vero, qui nec ab illis sine dubio partibus rationem orandi summovent, hoc tamen proprium atque præcipuum crederent opus, sua confirmare, & quæ ex aduerso proponerentur, refutare. Utruncunque est (nec enim hoc loco meam interpono sententiam) hic erit liber illorum opinione maxime necessarius, quo toto ³ hæc sola tractantur: quibus sane & ea quæ *de judicialibus causis* jam dicta sunt, seruiunt. Nam neque *proæmii*, neque

Initio docet pernecessariam esse oratoribus probationem: quæ in duas dividitur partes, confirmationem & refutationem, demum ex Aristotelis sententia probationes dividit in artificiales & inartificiales. Turneb.

¹ *Fuerunt & clari.*] Inter quos potissimum est Arist. i. rhetoric. cum ait, *Διὰ τὴν γὰρ καὶ εὐεχίαν, καὶ ὀργὴν, καὶ τὴν βίαν τὰ πάθη τῆς ψυχῆς, ἃ ὡς εἰς τὴν πρῶτον μὲν εἰσὶν, ἀλλὰ πρὸς τὴν διανοήσιν, & cætera quæ seq. de his plura lib. 6. cap. 1. Idem.*

² *Primum quia vitium.*] Permulti principes Stoicorum de *rhetorica* scripserunt, ut Zeno & Chrisippus. porro Stoici affectus animi morbos existimant, ideoque illos excludunt. *Idem.*

³ *Plures vero.*] Alii tria quidem ponunt officia, sed præcipuum existimant docere. cui pene opinioni astipulatur Agricola, cum ait orationis esse munus proprium docere, accessiones vero esse *delectare & movere.* *Idem.*

⁴ *Hæc sola tractantur.*] Confirmandi sua, aliena refutandi ratio. *Pith.*

I Ejus-

neque *narrationis* est alius usus, quam ut iudicem præparent: & status nosse, atque ea de quibus supra scripsimus, intueri, supervacuum foret, nisi ad hanc perveniremus. Denique ex quinque quas judicialis materiæ fecimus partibus, quæcunque alia potest aliquando necessaria causæ non esse: lis nulla est cui probatione opus non sit. ¹ Eius præcepta sic optime divisuri videmur, ut prius in commune quæ ad omnes quæstiones pertinent, ostendamus: deinde quæ in quoque causæ genere propria sunt, exequamur.

¹ *Ejusque præcepta.*] Duplices sunt loci: quidam enim *topici* appellantur, ac *communes* sunt: ab iis enim in quacunque quæstionem probationes duci possunt: alii *propri* sunt causarum & quæstionum, suntque *particulares*, ac fluunt à superioribus. sic *Fab. lib. 3.* locos generis *deliberativi* & *demonstrativi* est complexus: & *lib. 7.* locos *statuum* exequitur. Eadem divisio est apud *Cic. in Top. & Partit.* in locos *internos* seu *institos*, & *externos* sive *assumptos*. *Turn.*

CAP. I.

De probationum divisione.

AC prima quidem illa partitio ab ¹ Aristotele tradita ¹ consensus fere omnium meruit, alias esse ² probationes quas ³ extra dicendi rationem acciperet orator: alias quas ex causa traheret ipse, & quodammodo gigneret. Ideoque illas *ἀτέχνης*, id est *inartificiales*: has *ἐπιτέχνης*, id est ⁴ *artificiales*,

¹ *Aristotele.*] *Rhetoric. 1.*
² *Probationes.*] *Probationes* sunt Aristoteli vel *artificiales* vel *inartificiales*. *Inartificiales* autem tractat omnes *Fab. Cæterum* cum *Arist.* divisisset *artificiales in ethicas, logicas, & patheticas*, tantum de *logicis* hoc libro *Fab.* agit, reliquas autem persequetur libro sexto, cum ager de *conclusionibus*. Idem *Cic. 2. de Orat.* Ad probandum autem duplex est oratori subjecta materies: una rerum earum quæ non excogitantur ab oratore, sed in re proposita, ratione tractantur, ut *tabulae, testimonia, pacta, conventa, quæstiones, leges, senatusconsulta, res iudicatae, decreta, responsa*, & reliquæ si quæ sint quæ non ab oratore pariuntur, sed

ad oratorem à causa atque à reis differuntur. Altera est, quæ tota in *disputatione* & *argumentatione* oratoris collocata est, &c. quæ seq. Idem & in *Top.* Sed ex his locis in quibus argumenta inclusa sunt, alii in eo ipso de quo agitur, hærent: alii assumuntur extrinsecus. *Turneb.*

³ *Extra dicendi rationem.*] Id est, extra artem. vide initium cap. 8. quæ non inveniuntur ab Oratore, sed ad eum cum ipsa causa deferuntur. *Pith.*

⁴ *Artificiales.*] *Artificialis probatio* & inventionem & tractationem habet artificialem, *inartificialis* vero inventionem quidem habet inartificialem, cæterum tractationem artificiosam. igitur hæc

tificiales, vocaverunt. Ex illo priore genere sunt *præjudicia*, *rumores*, *tormenta*, *tabula*, *jusjurandum*, *testes*: in quibus ¹ pars maxima contentionum forensium consistit. ² Sed ut ipsa per se carent arte, ita summis eloquentiæ viribus ³ allevanda sunt plerunque, & refellenda. Quare mihi videntur magnopere damnandi, qui totum hoc genus à præceptis removerunt. ⁴ Nec tamen in animo est, omnia quæ aut pro his aut contra dici solent, complecti. Non enim communes locos tradere destinamus, quod esset operis infiniti, sed ⁵ viam quandam atque rationem. Quibus demonstratis, non modo in exequendo suas quisque vires debet adhibere, sed etiam inveniendò similia, ut quæque conditio litium poscet. Neque enim de omnibus causis dicere quisquam potest, saltem præteritis, ut taceam de futuris.

hæc divisio ad *inventionem* referri debet. Has Græci, ut Aristot. & Dionys. *ἀρτέχνας ἢ ἐμπειρίας πείρας* vocant. Cic. in *Top. artis expertes*. alibi *artificiosas & inartificiosas*. Rodolphus *pronunciata* videtur appellasse. *Turneb.*

¹ *Pars maxima.*] Firmiores sunt probationes *inartificiales artificialibus*, ideoque in causas forenses fere semper trahuntur, præsertim *conjecturales*, quæ maxime hac probatione fulciuntur. *Idem.*

² *Sed ut ipsa carent arte.*] Id quod Aristotel. Cic. & Fabius tradiderunt, ab arte removentes: quod Rodolpho minus placet, in eoque mire se torquet, cum tamen, si diligenter animadver-

mus eorum verba, eadem cum Rodolpho præcipiant. Ejus verba sunt *lib. 1. cap. 24. Idem.*

³ *Allevanda.*] *Elevanda.*

⁴ *Nec tamen.*] Rhetores appellare solent tractationem locorum *inartificialium locos communes*, ut ea quæ dicuntur pro testibus & contra testes. Porro sigillatim persequi illos *locos communes*, nullius esset methodi. duntaxat igitur universales horum præceptiones tradit Fabius. *Turneb.*

⁵ *Viam ac rationem.*] *Loci communes* nunc accipiuntur pro illis formulis quæ dicuntur de virtutibus & vitiis, nunc accipiuntur pro tractatione locorum *inartificialium*, ut hoc loco. *Idem.*

CAP. II.

De ¹præjudiciis.

IAm ²præjudiciorum vis omnis ¹tribus in generibus versa-
tur: *Rebus*, quæ aliquando ex paribus causis sunt judi-
cata, ⁴quæ *exempla* rectius dicuntur: ut *de rescisis patrum*
testamentis, ⁵vel *contra filios confirmatis*: *Judicis* ad ipsam
causam pertinentibus, unde etiam nomen ductum est, qua-
lia ⁶*in Oppianicum* facta dicuntur, ⁷& à senatu ⁸*adversus*
Milonem: Aut cum de eadem causa pronuntiatum est, ut
⁹*in reis deportatis*, & ¹⁰assertione secunda, ¹¹*& partibus centum-*
viralium,

1 *Præjudiciis.*] Præjudicia qua ratione
confirmantur aut refellantur.

2 *Præjudiciorum.*] Præjudicium est
res quæ cum statuta fuerit, asserti judi-
caturis exemplum quod sequi debeant.
dicitur etiam *præjudicatio* & *præjudica-*
tum. Primum autem ejus significatio-
nes enumerat, deinde locos confirma-
tionis & confutationis subjicit. *Turn.*

3 *In tribus generibus.*] Unde Erasmus
lib. 2. Eccles. Præjudicia, inquit, sunt,
ab aliis iudicibus in simili causa, aut in
pari, aut in eadem pronunciata, quibus
continentur senatusconsulta & princi-
pum decreta. *Idem.*

4 *Quæ exempla dicuntur.*] Quæ sunt
de re simili, *majori, minore vel equali*, ut
post videbimus. hic videmus summam
affinitatem esse inter *præjudicia* & *exem-*
pla. unum interim pro altero accipitur,
tamen si *præjudicium* sit probatio inarti-
ficiofa, *exemplum* artificiofa. *Idem.*
Exempla.] Vide *Valer. lib. 7. cap. 7. & 8.*
pro *Cluent.*

5 *Adversus Milonem.*] *Cic. pro Mil.*

6 *Vel contra filios.*] Hac de re duo sunt
tituli apud *Valerium Maximum lib. 7.*
huc etiam pertinet quod dicitur à *Ju-*
risconsultis de testamento inofficioso, &
de testamento irrito, quæ *Fabius* hic *rescis-*
sa vocat: quæ *Prætores* sæpe annihila-
bant, cum videbant filios à patre injuste
exhæredatos. *Turneb.*

7 *In Oppianicum.*] Secunda hæc vera
est *præjudiciorum* acceptio, ut in causa
Oppianici, antea *veneficii* condemnatus
fuerat *Scamander*, postea *Fabritius*: ex
quibus jure *Oppianicum* damnatum col-
ligebatur. *Idem.*

8 *A senatu adversus.*] Senatus enim
judicaverat, eadem quæ facta esset in
via *Appia*, contra *Rempub.* videri: hinc
adversarii condemnatum eadē *Milo-*
nem causabantur. *Idem.*

9 *In reis deportandis.*] *Relegatio* est,
cum certo loco interdicitur: *deportatio*
cum aliquis in certum locum relegatur,
ut in *insulam*. Porro, ut testatur *Ulpia-*
nus, de causa deportandorum iterum apud
iudicem potest agi, ac si restituantur,
pristinum adipiscuntur honoris gra-
dam. *Idem.*

10 *Assertione secunda.*] *Assertio* judi-
cium est de alicujus libertate constitu-
tum, appellaturque *causa liberalis*: si igitur
de liberali causa jam pronuntiatum
sit, & facta provocazione, aut alia judi-
cium subsortitione, iterum de causa
disceptetur, locus erit *præjudicio*. quan-
quam huic locum aliter *Cælius* inter-
pretatur. Meminit *Fabius lib. 11.* Suc-
curreret, etiam si apud alios iudices age-
tur: ut in *secunda assertione*, aut in *cen-*
tumviralibus, iudiciis duplicibus. *Idem.*

11 *Partibus centumviralium.*] Vide *Vi-*
tellii Annotationes in Merulam, c. 21.

viralium, quæ in duas ¹ hastas divisæ sunt. Confirmantur præcipue duobus: *auctoritate* eorum qui pronuntiaverunt, & *similitudine* rerum de quibus quæritur. Refelluntur autem raro per contumeliam iudicum, nisi forte manifesta in his culpa erit. Vult enim cognoscentium quisque firmam esse alterius sententiam: & ipse pronuntiaturus non libenter exemplum quod in se fortasse recidat, facit. ² Confugiendum ergo est in duobus superioribus, si res feret, ad aliquam ³ dissimilitudinem causæ. Vix autem ulla est per omnia alteri similis. Si id non continget, ac eadem causæ erit: aut actorum incusanda negligentia, aut de infirmitate personarum querendum, contra quas erit iudicatum: aut de gratia quæ testes corruerit, aut de invidia, aut de ignorantia: aut inveniendum quod causæ postea accesserit. Quorum si nihil erit, licet tamen dicere multas iudiciorum causas ad inique pronuntiandum valere: ideoque ⁴ *damnatum Rutilium*, *absolutos Clodium atque* ⁵ *Catilinam*. ⁶ Rogandi etiam iudices, ut rem potius intueantur ipsam, quam iurejurando ⁷ alieno suum donent. Adversus consulta autem senatus, & de-

Et partibus centumviralium.] Vid. Corn. Wirell. adversus Georg. Merulam cap. 2. p. 619. Lamp. Critic. part. 1. Pet. Pithæi Adversar. lib. 2. cap. 19. pag. 803. Lamp. Critic. part. 2. Franc. Polleti Histor. Fori Rom. libro 3. capite 14. p. 292.

¹ *Hastas.*] *Centumviri positæ duabus hastis* de causis cognoscebant, erantque in duas partes divisi, postea etiam in quatuor basilicas. in his igitur iudiciis & provocaciones erant & iudicum subfortitiones, fusius de his *Budæus in Pandectas.* Idem.

² *Confugiendum est.*] Cum *præjudicium* est in rebus ex paribus causis iudicatis, aut in iudiciis ad causam pertinentibus, locus à dissimili valere potest: at cum de eadem causa est pronunciatum, locum non habet. *Idem.*

³ *Dissimilitudinem causæ.*] Ut quod *Moses* censuerit mulierem adulteram

lapidibus obruendam, de viro nihil tale statuerit, *præjudicium* est, in divortio non esse par jus uxori ac viro. *Nihil enim tam simile est, quin aliqua ex parte sit dissimile* aut videri possit. *Idem.*

⁴ *Damnatum Rutilium.*] De Rutilii damnatione vide *Florum* lib. 3. *Rutilium.*] *Rutilius* iustissime Asiam administravit: sed cum publicanorum injurias illic cõercuisset, invisus est factus equitibus, penes quos erant iudicia, ideoque in exilium missus. *Turneb.*

⁵ *Catilinam.*] *Catilina* prætor administravit Africam, postea accusatus repetundarum fuit, sed optimatum factione absolutus est. *Idem.*

⁶ *Rogandi iudices.*] Ut pro *Cluentio Cic.* refellendis & amolendis præjudiciis, *Quamobrem à vobis, iudices, antequam de ipsa dicere incipio,* & cætera quæ sequuntur. *Idem.*

⁷ *Alieno.*] Eorum scilicet qui ex præ-

& decreta principum vel magistratuum, remedium nullum est, nisi aut inventa quantulacunque causæ differentia, aut aliqua vel eorundem vel ¹ ejusdem potestatis hominum posterior constitutio, quæ sit priori contraria: quæ si deerunt, lis non erit.

præjudiciis & temere iudicium constituerunt, non penitus re inspecta. *Idem.* ¹ *Ejusdem potestatis.*] Quomodo dum *lex posterior derogat priori*, ita quodque posterior constitutio aut posterius senatusconsultum derogat priori. *Idem.*

CAP. III.

De rumore & fama.

Fama atque rumores pars altera consensum civitatis & ³ velut publicum testimonium vocat: altera sermonem sine ullo certo auctore dispersum, cui *malignitas* initium dederit, incrementum *credulitas*: quod nulli non etiam innocentissimo possit accidere fraude inimicorum falsa vulgantium. Exempla utrinque non deerunt.

Docet Cicero in Topicis *famam esse quoddam civitatis testimonium*, itaque esse quasi quædam multitudinis præjudicia: igitur momentum habet ad confirmandum. quid autem dici possit pro ea & contra eam, docet hoc loco Fabius. Quæ si contra pro nobis faciunt, dicemus vix unquam temere nasci, quin subsit aliquid veri, alioqui in ore omnium non posse versari: aut si quo casu falsa nata sint, evanescere protinus. Vera etiam nonnulla auctoritate comprobabimus. *Cæsar dimittit uxorem, non ob crimen, sed quod suspitione adulterii esset aspersa.* Cic. Philip. 2. Plausum trahit in consensum populi libertatem cupientis. Si vero contra nos faciant, dicemus minime tutum esse credere famæ populari, quæ ut nonnunquam vera dispergat, sæpissime tamen mentiatur. eamque primum ex loquutulei alicujus aut invidi fabula nasci, ei incrementum addere vulgi credulitatem: qua plurimos miserè circumactos fuisse constat innocentissimos. Igitur instabilitatem auctoritate non esse amplectendam confirmabimus, & optima paucis semper placuisse. *Turneb.*

CAP. IV.

De tormentis.

Sicut *in tormentis* quoque, qui est locus frequentissimus, ⁴ cum pars altera quæstionem, vera fatendi necessitatem vocet,

Tormenta appellantur quæ adhibito corporis cruciatu veritatem expriment. dicuntur etiam *quæstiones*, quæ doloris vehementia verum inquirant. *Turn.*

Y 2

1 Quid

vocet, altera sæpe etiam causam falsa dicendi, ¹ quod aliis patientia facile mendacium faciat, aliis infirmitas necessarium. Quid attinet de his plura? Plenæ sunt orationes veterum ac novorum. Quædam tamen in hac parte erunt propria cujusque litis. Nam sive ² de habenda quæstione agetur, plurimum intererit, *quis, & quem postulet aut offerat, & in quem, & ex qua causa*: sive jam erit habita, *quis ei præfuerit, quis & quomodo sit tortus*, an credibilia dixerit an inter se constantia: perseveraverit in eo quod cœperat, an aliquid dolore mutarit: prima parte quæstionis, an procedente cruciatu. Quæ utrinque tam infinita sunt, quam ipsa rerum varietas.

¹ Quod aliis patientia.] Idem quoque testatur Ulpianus, titulo de quæstionibus lib. 48. Citatur & à Fabio periodus proverbialis in hanc sententiam, *Mentietur in tormentis qui dolorem feret, mentietur*

qui non feret. Idem.

² De habenda quæstione.] Habere quæstionem est inquisitionem per tormenta facere. olim autem servi postulabantur in quæstionem & dabantur. *Idem.*

C A P. V.

De tabulis.

5 **C**ONTRA tabulas quoque sæpe dictum, sæpe dicendum est, cum eas non solum refelli, ¹ sed etiam accusari, sciamus esse usitatum. Cum sit autem in his aut *scelus signatorum*, aut *ignorantia*: tutius ac facilius id quod secundo loco diximus, tractatur, quod ² pauciores rei fiunt. Sed hoc ipsum argumenta ex causa trahit, si forte aut incredibile est id actum esse quod tabulæ continent: aut (ut frequentius evenit) aliis probationibus æque inartificialibus solvitur: si aut is in quem signatum est, aut aliquis signator dicitur abfuisse vel

Tabularum nomine intelligimus quæcunque scripta & instrumenta, syngraphas, chirographa, & testamenta. habent autem tabulæ maximam vim ad probandum, si legitimæ sunt. *Turneb.*

¹ Sed etiam accusari.] Nam cum malæ proferuntur tabulæ, competit accusa-

tio falsi, & cum qui eas profert ut *falsarium* accusamus. *Idem.*

² Pauciores rei fiunt.] Tabulæ olim fiebant adhibitis testibus & signatoribus. itaque jurisconsulti præcipiunt ut tabulæ testamenti fiant adhibitis septem signatoribus. *Idem.*

vel prius esse defunctus : si tempora non congruunt : si vel antecedentia vel insequentia tabulis repugnant. ¹ *Inspectio* ipsa sæpe etiam falsum deprehendit.

¹ *Inspectio ipsa.*] Sæpenumero *tabulas inspicere* propius oportet, ut videamus, siue in illis aliqua litura, siue summa aliqua falsa, aut postremo aliquid subditivum. *Idem.*

CAP. VI.

De jurejurando.

Jurjurandum litigatores aut offerunt suum, aut ¹ non recipiunt oblatum : aut ab adversario exigunt, aut recusant cum ab ipsis exigatur. Offerre suum sine illa conditione, ut vel adversarius juret, fere improbum est. Qui tamen id faciet, aut vita se tuebitur, ut eum non sit credibile pejeraturum : aut ipsa vi religionis : in qua plus fidei consequetur, si id egerit, ut non cupide ad hoc descendere, sed ne hoc quidem recusare videatur : ² aut si causa modo patietur litis, propter quam devoturus se ipse non fuerit : aut si præter alia causæ instrumenta adjicit ex abundantia hanc quoque conscientia suæ fiduciam. Qui non recipiet conditionem, à multis contemni jurisjurandi metum dicet : ³ cum etiam philosophi quidam sint reperti, ⁴ qui deos habere curam rerum humanarum negarent : eum vero qui nullo offerente jurare sit paratus, & ipsum velle de causa sua pronuntiare : & quam id quod offert, leve ac facile credat, ostendere. At is qui defert, agere modeste videtur cum litis adversarium judicem

Jurisjurandi magna est religio, ut ajunt jurisconsulti, utilisque ad decidendas causas, quarum alioqui prolixius foret judicium : sed ita demum auctoritatem habet, si ab adversario deferatur, aut à judice. *Turneb.*

¹ *Non recipiunt.*] Non respuunt.

² *Aut si causa.*] Poterit etiam suum offerre *jurjurandum* si causa erit exigua & vilis : non enim credibile videbitur ipsum sibi imprecaturum ob rem tam

exiguam. Porro qui jurabant olim sibi devotionem imprecabantur si pejerarent, ut in *foederibus conjurabant Jovem lapidem.* *Idem.*

³ *Cum & philosophi.*] Hæc sententia est *Epicureorum*, qui mundum providentia regi negant, quæ sententia tollit jurisjurandi religionem sublato metu deorum. *Idem.*

⁴ *Qui deos habere curam rerum.*] Cic. de natura deorum 1.

¹ iudicem faciat, & eum cuius cognitio est, onere liberet, qui profecto alieno iurejurando stari quam suo malit. Quo difficilius recusatio est, nisi forte res est ea, quam credibile sit notam ipsi non esse. Quæ excusatio si deerit, hoc unum relinquetur, ut invidiam sibi quæri ab adversario dicat, atque id agi, ut in causa in qua vincere non possit, quæri possit. Itaque hominem quidem malum occupaturum hanc conditionem fuisse, se autem probare malle quæ affirmet, quam dubium cuiquam relinquere an pejerarit. Sed nobis adolescentibus seniores, ² in agendo facti præcipere solebant, *ne unquam iusjurandum deferremus*: sicut neque ³ optio iudicis adversario esset permittenda: nec ex advocatis partis adversæ iudex eligendus. Nam si dicere contraria turpe advocato videretur, certe turpius habendum, facere quod noceat.

¹ *Judicem.*] Nam *iusjurandum* litem decidit, nisi forte velis perjurium probare. *Turneb.*

² *In agendo facti.*] In actionibus exercitati. *Pith.*

³ *Optio.*] In iudicum sortitione adversarii *voluntatem & optionem* sequi non oportet, nec in arbitrio compromissario eligendo. *Turneb. Optio iudicis.*] Eligendi scilicet iudex à litigatoribus solebat. *Pith.*

C A P. VII.

De testibus.

⁷ **M**aximus tamen patronis circa ¹ *testimonia* sudor est. *Ea* dicuntur aut *per tabulas*, aut *à presentibus*. Simplicior *contra tabulas* pugna. Nam & minus obstitisse videtur pudor inter paucos signatores, ² & pro diffidentia premitur absentia. Si reprehensionem non capit ipsa persona, infamare signatores licet. Tacita præterea quadam significatione refragatur his omnibus, quod nemo *per tabulas* dat testimonio-

¹ *Testimonia* multum prosunt in causis, quæ fiunt vel *voce* vel *scripto*. cæterum quæ *voce* & *à presentibus*, magni sunt momenti: quæ *per tabulas* & *scripta* ab absentibus, facilius solvuntur: iurisperiti *testes* usurpant de præsen-

tibus: *testimonia* de absentibus. *Turneb.*

² *Et pro diffidentia.*] Qui absens *testimonium* dicebat, *tabulas* conficiebat *præsentibus* signatoribus, in quibus suum *testimonium* perscribebat. *Idem.*

I SUA

stimonium nisi ¹ sua voluntate: quo ipso non esse amicum ei se contra quem dicit, fatetur. Neque tamen protinus cesserit orator, quo minus & amicus pro amico, & inimicus contra inimicum possit verum (si integra sit ei fides) dicere. Sed late locus uterque tractatur. ² Cum presentibus vero ingens dimicatio est, ideoque velut duplici contra eos, proque his acie configitur, *actionum*, & *interrogationum*. ³ In *actionibus* primum generaliter *pro testibus*, atque *in testes* dici solet. Est hic communis locus, cum pars altera nullam firmiorem probationem esse contendit, quam quæ sit hominum scientia nixa: altera ad detrahendam illis fidem, omnia per quæ fieri soleant falsa testimonia, enumerat. ⁴ Sequens ratio est, cum specialiter quidem, sed tamen multos pariter invadere patroni solent. ⁵ Nam & gentium simul univrsarum elevata testimonia ab oratoribus scimus, & tota genera testimoniorum: ut ⁶ *de auditionibus*: non enim ipsos esse testes, sed injuratorum afferre voces. ut *in causis repetundarum*, qui se reo numerasse pecunias jurant, litigatorum non testium habendos loco. Interim adversus singulos dirigitur actio: quod infectationis genus & permistum defensionem legimus in orationibus plurimis, & separatim editum, sicut *in Vatinius testem*. ⁷ Totum igitur excutiamus locum, quando univrsam institutionem aggressi sumus. ⁸ Sufficiebant

¹ *Sua voluntate.*] Nam aliis testibus solet per sepe denuntiari testimonium & dies dici: at qui testantur per tabulas, voluntarii sunt testes. *Idem.*

² *Cum presentibus.*] *Præsentes testes* difficilius oppugnantur, dupliciter tamen refutantur. aut enim adversus eos utimur oratione perpetua, aut in altercatione eos interrogamus, diligenterque excutimus quid ab illis dicatur. *Idem.*

³ *In actionibus.*] Cum utimur oratione perpetua, dupliciter *pro testibus* & *contra testes* dicimus, primum generaliter per questionem infinitam cirra personarum circumscriptionem, deinde specialiter additis personarum circumstan-

tiis. *Idem.*

⁴ *Sequens ratio.*] Sic Cic. *pro Fonteio* Gallorum elevat testimonia, *pro Flacco* Græcorum Asianorumque, atque ita pariter multos invadit. *Idem.*

⁵ *Nam & gentium.*] *Testes* sunt quidam qui negotio interfuerunt gerendo: nonnulli sunt qui quod ab aliis audiverunt, pro testimonio dicunt, quorum auctoritas est infirmior. unde vulgatum est istud, *Pluris est oculatus testis unus quam auriti decem.* *Idem.*

⁶ *De auditionibus.*] Cic. *pro Flacco.*

⁷ *Totum igitur excutiamus.*] Turpe enim esset aliquid prætermisisse. *Pith.*

⁸ *Sufficiebat alioqui.*] Domitius Afer celebris

bant alioqui libri duo à *Domitio Afro* in hanc rem compositi, quem adolescentulus senem colui: ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraque ex ipso sint cognita. Is verissime præcepit, primum esse in hac parte officium oratoris, ut totam causam familiariter norit: quod sine dubio ad omnia pertinet. ¹ Id quomodo contingat explicabimus, quum ad destinatum huic parti locum venerimus. Ea res suggeret materiam interrogationi, & veluti tela ad manum subministrabit. Eadem docebit, ad quæ judicis animus actione fit præparandus. ² Debet enim vel fieri, vel detrahi testibus fides oratione perpetua: quia sic quisque dictis movetur, ut est ad credendum vel non credendum ante formatus. ³ Et quoniam duo genera sunt testium, aut *voluntariorum*, aut *eorum quibus iudex in publicis judiciis lege denuntiari solet*: quorum altero ⁴ utraque pars utitur, alterum accusatoribus tantum concessum est: separemus officium dantis testes, & refellentis. Qui *voluntarium* producit, scire quid is dicturus sit, potest: ideoque faciliorem videtur in rogando habere rationem. Sed hæc quoque pars acumen & vigilantiam poscit: providendumque, ne *timidus*, ne *inconstans*, ne *impru-*

celebris Orator, cujus meminit Fab. lib. 10. duos scripserat libros *de confirmandis & refellendis testimoniis*. cæterum colligere licet ex hoc loco deceptum fuisse divum Hieronymum, qui scribit Quintilianum ex Hispania adductum fuisse à Galba Romano, ut rhetoricam doceret. nam *Quintilianus Romanus* fuit, testante etiam Martiale. at deceptus fuit appellatione. alius enim fuit *Quintilianus* hujus pater. *Turneb.*

¹ *Id quomodo.*] Fab. lib. 12. cap. 9. fusissime explicat quomodo orator causam nosse debeat. *Idem.*

² *Debet etiam.*] Etiam antequam ad interrogationem veniamus, quadam in oratione nostra præparare debemus, quibus fides quadantenus detrahatur testibus. ita enim facilius judici per-

suadebitur. *Idem.*

³ *Et quoniam duo.*] Denunciare testimonium est testi diem dicere qua compareat ad iudicium ut testimonium dicat. Fiebat autem *denuntiatio* duntaxat, ut innuit Fabius, in publicis judiciis, quomodo hominibus privatis cavebatur & re familiari occupatis, ne passim *denunciato testimonio* inquietarentur. *Idem.*

⁴ *Utraque pars.*] Plinius *Cæcilius* l. 6. epistolarum ait olim accusatori potestatem fuisse in publicis judiciis querendi, testibusque denunciandi, atque Licinium petendum censuisse à Coss. ut referrent, an placeret in futurum adjici, ut sicut accusatoribus, ita reis quoque idem liceret. quod quidem facere videtur ad hujus loci interpretationem. *Idem.*

1 *Turban-*

imprudens testis sit. ¹ Turbantur enim, & à patronis diversæ partis ² inducuntur in laqueum: & plus deprehensi nocent, quam firmi & interriti profuissent. Multum igitur domi ante versandi; ac variis percontationibus, quales haberi ab adversario possunt, explorandi sunt. Sic fit ut aut constent sibi, aut siquid ³ titubaverint, oportuna rursus ejus à quo producti sunt, interrogatione velut ⁴ in gradum reponantur. ⁵ In his quoque adhuc qui constiterint sibi, vitandæ sunt insidiæ. nam frequenter subjici ab adversario solent, & omnia profutura polliciti, diversa respondent, & auctoritatem habent non arguentium illa, sed confitentium. Explorandum igitur quas causas lædendi adversarium afferant: nec id sat est ⁶ inimicos fuisse, sed an desierint, an per hoc ipsum reconciliari velint: ne ⁷ corrupti sint: ne pœnitentia propositum mutaverint. Quod cum in iis quoque, qui ea quæ dicturi videntur, re vera sciunt, necessarium est præcavere: tum multo magis in iis qui se dicturos quæ falsa sunt, pollicentur. Nam & frequentior eorum pœnitentia est, & promissum suspectius: & si perseveraverint, ⁸ reprehensio facilior. Eorum vero quibus denuntiatur, pars

testium

¹ *Turbantur enim, & à patronis.*] Vide Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 5. pag. 113. &c.

² *Inducuntur in laqueum.*] Metaphora est ducta à seris, quas sensim venatores solent in casses & retia inducere, quod idem facit patronus cum interrogatiunculis & quibusdam inductionibus tandem fallit testem. Turneb.

³ *Titubaverint.*] Sic pro Flacco Cic. Si vero titubaverint, quo revertantur non habebunt, &c. quæ seq. Idem.

⁴ *In gradum.*] Metaphora est ducta ab illis qui supplantati sunt, aut à colluctatore dejecti, qui opportuno alicujus auxilio eriguntur. Eras. Chil. Idem.

⁵ *In his quoque.*] Vitandi sunt etiam atque etiam subjecti testes & subornati qui adversarii fraude pollicentur se dicturos testimonium pro te, cum tamen

in ipsis judiciis contra se sint dicturi. Idem.

⁶ *Inimicos fuisse.*] Inimico testi olim creditum. Pith.

⁷ *Corrupti sint.*] *Corruptelam* in teste summopere vitare decet: & alioqui qui corrupti sunt, ex lege Julia à testimonio dicendo arcentur. Hunc locum quoque pro Flacco eleganter Cic. tractavit. Ut eos exire nolebant, testimonii denunciatione terreret, qui domi stare non poterant, largo & liberali viatico commoveret. sic adolescens ingenii plenus, locupletes metu, tennes præmio, stultos errore promovit, &c. quæ seq. Turnebus.

⁸ *Reprehensio facilior.*] Alii codices habent, *deprehensio facilior*, quemadmodum antea dixit *testem deprehensum*. Idem.

testium est quæ reum lædere velit, pars quæ nolit. ¹ Idque interim scit accusator, interim nescit. fingamus in præsentia scire. in utroque enim genere summis artibus interrogantis opus est. Nam si habet testem cupidum lædendi, cavere debet hoc ipsum, ne cupiditas ejus appareat: nec statim de eo quod in judicium venit, rogare, sed aliquo circuitu ad id pervenire, ut illi quod maxime dicere voluit, videatur expressum. ² Nec nimium instare interrogationi, ne omnia respondendo testis fidem suam minuat: sed in tantum evocare eum, quantum sumere ex uno satis sit. At in eo qui verum invitus dicturus est, prima felicitas interrogantis est extorquere quod is noluerit. ³ Hoc non alio modo fieri potest, quam longius interrogatione repetita. Respondet enim quæ nocere causæ non arbitrabitur: ex pluribus deinde quæ confessus erit, eo perducetur, ut quod dicere non vult, negare non possit. Nam ut in oratione sparsa plerunque colligimus argumenta, quæ per se nihil reum ⁴ aggravare videantur, congregatione deinde eorum factum convincimus: ita hujusmodi testis multa *de antea actis*, multa *de infecutis*, *loco*, *tempore*, *persona*, cæteris, est interrogandus, ut in aliquod responsum incidat, post quod illi vel fateri quæ volumus necesse sit, vel iis quæ jam dixerit, repugnare. Id si non contingit, reliquum erit ut eum nolle dicere manifestum sit: ⁵ protrahendusque, ut in aliquo quod vel extra causam sit, deprehendatur. Tenendus etiam diutius,

¹ *Idque interim.*] Nam testibus illis denuntiatur à iudice testimonium, atque inde fit ut plerunque accusator ignoret qui pro reo dicturi sint, aut contra reum. *Idem.*

² *Nec nimium instare.*] Si testis cupidus erit lædendi, non tamen ab eo petemus omnia quæ posita sunt in controversia, sed quod nobis utile erit ab eo petemus, reliqua ab aliis testibus. *Idem.*

³ *Hoc non alio.*] Opportuna est hoc loco *Socratica inductio*, de qua postea est

acturus Fab. Fit autem quibusdam interrogatiunculis & concessionibus, quibus demum elicimus quod absurdum est aut contrarium. ea utebatur Socrates adversus Sophistas. *Idem.*

⁴ *Aggravare.*] Sic quoque præcipiunt rhetores in *argumentorum collocatione & dispositione*, ut infirma argumenta multa simul congerantur. ita enim fiet ut ea quæ momento non pugnant, multitudine valeant. *Idem.*

⁵ *Protrahendus.*] Protrahitur testis quando interrogationibus extra causam educitur,

tius, ut omnia ac plura quam res desiderat, pro reo dicendo, suspectus judici fiat: quo non minus nocebit, quam si vera in reum dixisset. At si (quod secundo loco diximus) nescit actor quid propositi testis attulerit: paulatim, & (ut dicitur) pedetentim interrogando experietur animum ejus, & ad id responsum quod eliciendum erit per gradus ducet. Sed quia nonnunquam sunt hæ quoque testium artes, ut primo ad voluntatem respondeant, quo majore fide diversa postea dicant: est oratoris, suspectum testem dum prodest, dimittere. ¹ Patronorum in parte *expeditior*, in parte *difficilior* interrogatio est. *Difficilior* hoc, quod raro unquam possunt ante judicium scire quid testis dicturus sit. *Expeditior*, quod cum interrogandus est, sciunt quid dixerit. ² Itaque in eo quod incertum est, cura & inquisitione opus est, quis reum premat, quas & quibus ex causis inimicitias habeat: eaque in oratione prædicenda atque amolienda sunt, sive odio conflatos testes, sive invidia, sive gratia, sive pecunia videri volumus. ³ Et si deficietur numero pars diversa, *paucitatem*: si abundabit, *conspirationem*: si humiles producet, *utilitatem*: si potentes, *gratiam* oportebit incessere. Plus tamen proderit causas propter quas reum lædant, exponere: quæ sunt variæ, & pro conditione cujusque litis aut litigatoris. ⁴ Nam contra illa quæ supra diximus, simili ratione responderi locis communibus solet, quia & in paucis

educitur, diutiusque interrogatur: at tenetur, cum diutius interrogationi infestimus, ut utroque modo illum circumveniamus. *Idem.*

¹ *Patronorum in parte.*] Officium patroni in testimoniis modo difficilius est, cum perpetua agit oratione, quia non scit adhuc quid sit dicturus testis: at in interrogatione est facilius, quia jam audivit quid responderit accusatori testis. *Idem.*

² *Itaque in eo.*] Cum oratione perpetua utitur patronus, studiose debet exquirere qui testes reum sint pressuri,

ut illis oratione sua fidem detrahat.

³ *Et si deficietur numero.*] Ajunt *legitimum esse testium numerum, si decem producantur.* si igitur vel plures vel pauciores habuerit accusator, id exagitabimus. *Idem.* *Et si deficietur.*] Hæc facit Cicer. pro Flac.

⁴ *Nam contra illa.*] Quid contra illas patroni rationes dici possit ab accusatore, exponit. nam loco utetur communi, qui quidem hac in re ita appellatur, quod multarum sit causarum communis, & alias ab *accusatore*, alias à *defensore* dicitur. *Turneb.*

I Qui

cis atque humilibus accusator *simplicitate* gloriari potest, quod neminem præter eos ¹ qui possunt scire, quæsierit: & multos atque honestos commendare aliquanto est facilius. ² Verum interim & singulos ut exornare, ita destruere contingit, aut recitatis in actione, aut testibus nominatis. ³ Quod iis temporibus, quibus testis non nisi post finitas actiones rogabatur, & facilius & frequentius fuit. Quid autem in quenque testium dicendum sit, sumi nisi ex ipsorum personis non potest. ⁴ Reliquæ ⁵ interrogandi sunt partes. Qua in re primum est, *nosse testem*. nam timidus terreri, stultus decipi, iracundus concitari, ambitiosus inflari potest: prudens vero & constans, vel tanquam inimicus & pervicax dimittendus statim, vel non interrogatione, sed brevi interlocutione patroni refutandus est: aut aliquo, si continget, urbane dicto refrigerandus: aut siquid in ejus vitam dici poterit, ⁶ infamia criminum destruendus. Probos quosdam & verecundos non aspere incessere profuit. nam sæpe qui adversus insectantem pugnasent, modestia mitigantur. Omnis autem interrogatio, *aut in causa* est, *aut extra causam*. *In causa*, sicut accusatori præcepimus, patronus quoque altius, & unde nihil suspecti sit, repetita percontatione, priora sequentibus applicando, sæpe eo perducit homines, ut invitis quod profit extorqueat. ⁷ Ejus rei

¹ Qui possunt.] Alii, Quot putarit.

² Verum interim.] Pro recitatis, legendum putem citatis: ut sit sensus, aliquando perpetua oratione refutari testem, aut cum eum coram vocamus in conspectum judicum, aut cum duntaxat nominamus, non etiam coram advocamus. Quod si recitatis testibus legas, intelligemus recitando testimonia eorum: quod non perinde procedit. Turn.

³ Quod iis temporibus.] Alii codices habent, quibus testis non post finitas actiones, ut etiam testis rogaretur primis actionibus. Alii codices ita, non modo post finitas actiones: ut intelligamus olim etiam mediis actionibus interrogatos fuisse

testes, cum Fabii tempore duntaxat actionibus finitis testes interrogarentur. Idem.

⁴ Reliquæ.] Docuit quo pacto patronus testem refutare deberet in actione sua, nunc quo pacto interrogatione, quæ fieri solet post actionem, uti debeat, docet. Idem.

⁵ Interrogandæ.] Legendum est, interrogandi. Idem.

⁶ Infamiam criminum.] Ut pro A. Cæcinnæ Cic. Venio ad Phormionem, qui non minus niger est quam Phormio Terentianus, qui erat sceleratus. Idem.

⁷ Ejus rei.] Hanc ait partem non esse petendam à rhetoribus, sed à philosophis,

rei sine dubio nec disciplina ulla in scholis, nec exercitatio traditur: & naturali magis acumine, aut usu contingit hæc virtus. ¹ Si quod tamen exemplum ad imitationem demonstrandum sit, solum est quod *ex dialogis Socraticorum*, maximeque *Platonis*, duci potest: in quibus adeo scitæ sunt interrogationes, ut cum plerisque bene respondeatur, res tamen ad id quod volunt efficere, perveniat. Illud fortuna interim præstat, ut aliquid quod inter se parum consentiat, à teste dicatur: interim (quod sæpius evenit) ut testis testi diversa dicat. Acuta autem interrogatio, ad hoc quod casu fieri solet, etiam ratione perducet. Extra causam quoque multa quæ profunt, rogari solent, de vita testium aliorum, de sua quisque si turpitudine, si humilitas, si amicitia accusatoris: si inimicitia cum reo: in quibus aut dicant aliquid quod profit, aut in mendacio vel cupiditate lædendi deprehendantur. Sed in primis *interrogatio debet esse circumspecta*, quia multa contra patronos venustè testis sæpe respondet, eique præcipue vulgo favetur. Tum verbis quam maxime ex medio sumptis: ut qui rogatur (is autem est sæpius & imperitus) intelligat, aut ne intelligere se neget, quod interrogantis non leve ² frigus est. Illæ vero pessimæ artes, testem subornatum ³ in subsellia adversarii mittere, ut inde excitatus plus noceat, vel dicendo contra reum, cum quo federit: vel cum adjuvisse testimonio videbitur, faciendo ex industria multa immodeste atque intemperanter, per quæ non à se tantum dictis detrahat fidem, sed ⁴ cæteris quoque

phis, præsertim Socraticis. cæterum retulit disciplinam ad eas præceptiones quibus alicujus *rationem* complectimur; *exercitationem* autem ad usum qui secundum disciplinam instituitur. *Idem.*

¹ *Si quod tamen exemplum.*] *Socratici philosophi*, ut Plato, Xenophon, Æschines, plurimum sunt usi ea inductione quæ fit per interrogationem, cui non est absimilis *sortes*, id est, acervalis syllogismus Stoicorum. *Idem.*

² *Frigus.*] Donatus interpretatur pa-

rum adherens in Terentio, aitque metaphoram esse ductam à picatione vasorum, quibus pix si frigida est non adheret. Budæus pro *ineptitudine* accipit, & *minime plausibili specie*. *Idem.*

³ *In subsellia adversarii.*] *Judices* sedebant in tribunalibus, *patroni* in subselliis. rei quoque cum suis patronis & advocatis *dextrum* habebant subsellium, accusatores *sinistrum*. *Idem.*

⁴ *Cæteris quoque qui prof. &c.*] Vide Jan. Gebhard. *Crepund. l. I. c. 17. p. 55.*

1 Aucto-

quoque qui profuerant, auferat ¹ auctoritatem. Quorum mentionem habui, non ut fierent, sed ut vitarentur. ² Sæpe inter se collidi solent, inde testatio, hinc testes, locus utrinque. Hæc enim se pars jurejurando, illa consensu signantium tuetur. Sæpe inter testes & argumenta quæsitum est. Inde scientiam in testibus & religionem, ingenia esse in argumentis dicitur: hinc testem gratia, metu, pecunia, ira, odio, amicitia, ambitu fieri argumenta ex natura duci: in his judicem sibi, in illis alii credere. Communia hæc pluribus causis, multumque jactata sunt, semperque jactabuntur. ³ Aliquando utrinque sunt testes, & quæstio sequitur, ex ipsis, *utri meliores viri*, ex causis, *utri magis credibilia dixerint*. ex litigatoribus, *utri gratia magis valuerint*. ⁴ His adjicere si quis volet ea quæ divina testimonia vocantur, ex responsis, oraculis, ominibus, ⁵ duplicem sciat eorum esse tractatum: *generalem* alterum, in quo inter Stoicos & Epicuri sectam secutos pugna perpetua est, regaturne providentia mundus. *specialem* alterum, contra parteis divinationis, ut quæque in quæstionem cadit. Aliter enim *oraculorum*, aliter *aruspicum*, *augurum*, *conjectorum*, & *mathematicorum* fides confirmari, aut refelli potest, cum sit rerum earum ratio diversa. ⁶ Circa ejusmodi quoque instrumenta firmanda,

¹ *Auctoritatem.*] Alii *Utilitatem*.

² *Sæpe inter se.*] Hactenus simplicem *testium confirmationem & refutationem* docuit: nunc ex comparatione. cæterum appellat testationes, testimonia quæ ab absentibus injuratis per tabulas sunt, cujusmodi sunt hodie quæ *inquisitiones* vocantur. *Turneb. Sæpe inter se collidi.*] Divus Hadrianus rescripsit se testibus non testimoniis crediturum, aliamque esse auctoritatem præsentium testium, aliam testimoniorum quæ recitari solent. *Pithæus.*

³ *Aliquando utrinque.*] Tertius est *locus communis*, cum utrinque producuntur *testes*. tum autem & à personis & à rebus argumenta ducere oportet ad *con-*

firmationem & infirmationem. *Turnebus.*

⁴ *His adjicere.*] Dubitat Fabius debeatne *testimonia divina* testimoniis adjicere, ut fecit *Cic. in Top. & part.* porro *Fab. r. cap.* hujus libri *testimonia divina* exemplis annumerat. *Idem.*

⁵ *Duplicem.*] Bifariam tractantur *testimonia divina: communiter*, ut quum de roto genere quærimus an sint ulla *testimonia divina*, an sit ulla *divinatio*: aut *particulariter*, cum à genere descendimus ad species, *ut fierine possit divinatio per aruspiciam, an non possit.* *Idem.*

⁶ *Circa hujusmodi.*] *Cic.* quoque *in fine Topicorum* vinolentiam, furorem, somnium, pueritiam testimoniis annumerat.

firmanda, vel destruenda, multum habet operis oratio, si quæ sint voces per vinum, somnum, dementiam emissæ, vel excepta parvulorum indicia, quos pars altera nihil fingere; altera nihil judicare dictura est. ¹ Nec tantum præstari hoc genus potest, sed etiam ubi non est, desiderari solet: *Pecuniam dedisti, quis numeravit? ubi? unde? Venenum arguis, ubi emi? à quo? quanti? per quem dedi? quo conscio?* Quæ fere omnia pro Cluentio Cicero in crimine veneficii excutit. Hæc de *inartificialibus* quam brevissime potui.

merat. unde mutuatus videtur Fabius. Idem.

¹ Nec tantum præstari.] Hermogenes in lib. de *statibus* hunc locum appellat

probationum ex petitione, propriumque esse dicit conjecturalium causarum, cum scilicet testes & certiora ab adversario flagitamus judicia. Idem.

CAP. VIII.

De probatione artificiali.

Pars altera probationum, quæ est tota *in arte*, constat-8 que rebus ad faciendam fidem positis, plerunque aut omnino negligitur, aut levissime attingitur ab iis qui argumenta velut horrida & confragosa vitantes, ¹ amœnioribus locis desident: neque aliter quam ii qui traduntur à poëtis gustu cujusdam apud ² Lotophagos graminis, & Sirenum cantu deliniti, voluptatem saluti prætulisse, dum laudis falsam imaginem sequuntur, ipsa, propter quam dicitur, victoria

Initio quosdam reprehendit qui spretis argumentis quibus veluti nervis *cause* continentur, in locos communes excurrunt, quod vitium erat tempore Fabii frequentissimum. subnectit generalem omnium *probationum divisionem*, postmodum probationis species sigillatim exequitur. Turneb.

¹ *Locis amœnioribus.*] Argumenta desident dialecticum acumen, neque tam capacia sunt eloquentiæ. igitur illi locos communes sectantur, qui & genere compositionis & figuratum varietate lasciviunt. Idem.

² *Lotophagos.*] *Lotophagi* populi sunt Africa, apud quos lotus arbor, quæ *celtis* à Theophrasto dicitur, dulcissimum gerit fructum, adeo ut si quis gustarit, illic perpetuo manere velit. Est etiam *lotus* Theophrasto herba quadam suavissima & esculenta: de qua intellexisse videtur & Homerus lib. *odys.* & Fabius. Idem testatur & Plinius lib. 22. Idem. *Lotophagos graminis.*] Laur. Valla dubitat num legendum sit potius *graminis*, quod *loton* quidam velint esse cannam saccari quam appellant *γλυγοκρίλαρον*. *Pith.* Homer. *Odyss.* 9. 12. Plin. 1. 7. & 16.

¹ *Atque*

victoria cedunt. ¹ Atqui cetera quæ continuo magis orationis tractatu decurrunt, in auxilium atque ornamentum argumentorum comparantur, ² nervisque illis quibus causa continetur, adjiciunt superinducti corporis speciem: ut si forte quid factum *ira*, vel *metu*, vel *cupiditate* dicatur, latius quæ cujusque affectus natura sit, prosequamur. Iisdem *laudamus*, *incusamus*, *augemus*, *minuimus*, *describimus*, *deterremus*, *querimur*, *consolamur*, *hortamur*. Sed horum esse opera in rebus aut certis, aut de quibus tanquam certis loquimur, potest. Nec abnuerim esse aliquid in *delectatione*, multum vero in *commovendis affectibus*: sed hæc ipsa plus valent cum se didicisse iudex putat: quod consequi nisi argumentatione, aliaque omni fide rerum non possumus. Quorum priusquam partior species, indicandum reor, esse quædam in omni probationum genere communia. ³ Nam nec ulla quaestio est, quæ non sit aut *in re*, aut *in persona*: nec esse argumentorum loci possunt, nisi in iis quæ *rebus* aut *personis* accidunt: eaque aut per se inspici solent, aut ⁴ ad aliud referri: ⁵ nec ulla confirmatio, nisi aut *ex antecedentibus*, aut *ex consequentibus*, aut *ex pugnantibus*: & hæc necesse est aut

¹ *Atqui cetera.*] Non sunt illi contenti argumentorum momenti, nisi etiam ex ipsis argumentis eruant aliquem locum communem ad argumentorum ornamentum, ut si quid dixerint *ira factum*, locum addant communem *de ira*. Turneb.

² *Nervisque.*] *Nervos* vocat argumenta, tanquam in illis sit præcipuum auxilium. Probationes *inartificiales* habent cutem & carnem: *artificiales* autem nervos. sicut caro & cutis vestit nervos, in quibus est præcipua corporis fortitudo: sic probationes *inartificiales* seu loci communes vestiunt & ornant argumenta. Idem.

³ *Nam nec ulla quaestio.*] Omnis probatio in thesi ducitur à *re* aut à *persona* communi: in hypothesei vero tum à *re* tum à *persona* singulari. Eadem videtur Arist.

diviso, cum dixit probationes aut *rationales* esse, quæ & *negotiales* dicuntur, aut *morales*, aut *patheticas*. Cic. attributa personarum & rerum vocat. Idem.

⁴ *Aut ad aliud referri.*] Id ex Cic. topicis scire possumus. nam argumenta quæ ducuntur ex toto, ex partibus, per se inspiciuntur: quæ autem ex rebus affectis, ad aliud referuntur. Idem.

⁵ *Nec ulla confirmatio.*] *Antecedentia*, *consequentia*, & *repugnantia* apud Cic. in Topicis formulæ sunt argumentationis hypotheticæ: Fabio vero in cap. de argumentis *antecedentia* & *consequentia* pro adjunctis sumuntur. Hoc loco generaliter accipit pro *antecessione* & *consecutione rei* & *repugnantia*: quo pacto Arist. quoque sumpsit cap. 29. libri primi Priorum, cum agit de *inventione mediæ*. Idem.

I Aut

aut ex *preterito tempore*, aut ex *conjuncto*, aut ex *sequenti* petere. Nec ulla res probari nisi ex alia potest: eaque sit oportet ¹ aut *major*, aut *par*. aut *minor*. Argumenta vero reperiuntur aut in quæstionibus, quæ etiam separatæ à complexu rerum personarumque spectari per se possint: aut in ipsa causa, cum invenitur aliquid in ea non ex communi ratione ductum, sed ejus iudicii de quo cognoscitur, proprium. ² *Probationum præterea omnium aliæ sunt necessariæ, aliæ credibiles, aliæ non repugnantes.* ³ Adhuc, omnium probationum quadruplex ratio est, ut vel quia aliquid est, aliud non sit: ut, *dies est, nox non est.* vel quia est aliquid, & aliud sit: ut, *Sol est super terram, dies est.* vel quia aliquid non est, aliud sit: ut, *nox non est, dies est.* vel quia aliquid non est, nec aliud sit: ut, *non est rationale, nec homo est.* His in universum prædictis partes subjiciam.

¹ *Aut major.*] Hoc simpliciter non est intelligendum de loco comparationis, sed generaliter de omni re. argumentamur itaque à *majori*, ut à genere ad speciem: à *pari*, ut à specie ad proprium: à *minori*, ut à specie ad genus. *Idem.*

² *Probationum præterea.*] Paulo diversus Aristoteles. nam probationes aut necessarias ait, ex quibus fit *demonstratio*: aut probabiles, ex quibus *sylogismus dialecticus*: aut apparentes, ex quibus

sylogismus sophisticus. Fabius addit *non repugnantes*, quæ adhuc infirmiores sunt credibilibus, ut, *verisimile est eum fecisse furtum qui in ædibus solus fuerit.* *Idem.*

³ *Adhuc omnium.*] Hæc divisio pertinet ad *argumentationes hypotheticas*, quæ ex quadruplicibus constant propositionibus, aut duabus affirmativis, aut duabus negativis, aut affirmativa & negativa, aut negativa & affirmativa. Porro solent rhetores multum argumentari *ex conditione.* *Idem.*

C A P. I X.

De signis.

OMnis igitur probatio artificialis constat aut *signis*, aut *argumentis*, aut *exemplis*. ¹ Nec ignoro plerisque videri *signa* partem argumentorum: quæ mihi separandi ratio hæc

Probationem artificialem dividit, *signa* ab argumentis distinguit, & eadem dividit: deinde eorum *præceptiones* subjungit. *signum* autem appellant quod sub sensum aliquem cadit, & ex se ali-

quid demonstrat. *Turneb.*

¹ *Nec ignoro.*] Cic. in *Topicis signa* adjunctis subjicit: *adjuncta* autem ad argumenta referuntur. *Idem.*

Z

1 Nec

hæc fuit prima, quod sunt pene ex illis inartificialibus, *Cruenta enim vestis, & clamor, & livor, & talia, sunt instrumenta, qualia tabula, rumores, testes*: ¹ nec inveniuntur ab oratore, sed ad eum cum ipsa causa deferuntur. ² Altera, quod *signa* sive indubitata sint, non sunt argumenta: quia ubi illa sunt, quaestio non est: argumento autem nisi in re controversa locus esse non potest: sive dubia, non sunt argumenta, ³ sed ipsa argumentis egent. ⁴ dividuntur autem in has primas duas species, quod eorum alia sunt (ut dixi) quæ *necessaria* sunt, quæ Græci vocant τεκμήρια: alia *non necessaria*, quæ σημεῖα. Priora illa sunt, quæ aliter habere se non possunt: quæ mihi vix pertinere ad præcepta artis videntur. ⁵ Nam ubi est signum insolubile, ibi ne lis quidem est. Id autem accidit, cum quid aut necesse est fieri, factumve esse, aut certe omnino non potest fieri, vel esse factum: ⁶ quo in causis posito, lis non est nisi facti. Hoc genus per omnia tempora perpensi solet. Nam & coisse

eam

¹ *Nec inveniuntur.*] Signa minus habent artis inventionem, argumenta majori constant artificio, proinde à signis separantur. *Idem.*

² *Altera quod.*] Multis displicet ista Fabii ratio, & imprimis Rodolpho Agricola. nam quanquam *signa indubitata* controversiam tollunt, tamen antequam orator ea proposuerit iudici, de re dubitari potest. & alioqui *argumenta* sunt quædam etiam *necessaria*, ut ἀποδείξεις. id est, *demonstrationes*, quæ tollunt omnem quaestionem. *Idem.* *Altera quod signa sive indubitata sint, &c.*] Vide Ger. Vossium Instit. Orator. lib. 1. cap. 3. pag. 21.

³ *Sed ipsa.*] Hæc quoque ratio Fabii non satis est firma: nam quemadmodum *signa verisimilia* aliis egent argumentis ad confirmationem, ita nonnulla quoque *argumenta* ita per se sunt *infirma*, ut aliorum egent adjuventis. Vide Rodolphum lib. 1. Sed Fabium remove ab arte, ratione inventionis magis quam tractationis intelligendum est, ut supra

diximus. *Turneb.*

⁴ *Dividuntur autem.*] Hæc divisio ex 1. lib. Rhetor. Arist. est sumpta: quanquam Arist. *signa non necessaria* proprio nomine carere dixit. nam σημεῖον Aristoteli generale est ad omnia signa. τέτυκτο δὲ, τὸ μὴ ἀναγκασίον, τεκμήριον. τὸ δὲ μὴ ἀναγκασίον, ἀνάγκη ἐστὶν καὶ τῷ διαφορῶν. τεκμήριον vocat cum Fabio *signum necessarium*, Cic. *proprium rei notam*, Rodolph. *indicia*. *Idem.*

⁵ *Nam ubi est, &c.*] Vide censuram Agricola de hoc loco lib. 1. cap. 22.

⁶ *Quo in causis posito.*] Legendum videtur, *lis non est facti*. nam *signum indubitatum*, factum necessario probat, ut non supersit conjecturae locus, cum tamen esse possit quaestio juris. quod si hanc sequamur lectionem, sensus erit huiusmodi, ut possit aliquando *status* esse *conjecturalis* vel de persona, quanquam factum indicarit signum, vel de *facto*, quanquam signum indicarit personam. *Turneb.*

I Ubi

eam cum viro, quæ peperit, quod est præteriti: & fluctus esse, cum magna vis venti in mare incubuit, quod conjuncti: & eum mori, cujus cor est vulneratum, quod futuri, necesse est. Nec fieri potest ut ibi sit messis, ¹ ubi satum non est: ut quis Romæ sit, cum est Athenis: ut sit ferro vulneratus, qui sine cicatrice est. ² Sed quædam & retrorsus idem valent, ut vivere hominem, qui spirat: & spirare, qui vivit. Quædam in ³ contrarium non recurrunt. ⁴ Nec enim quia movetur qui ingreditur, idcirco etiam ingreditur, qui movetur. Quare potest & coisse cum viro, quæ non peperit: & non esse ventus in mari, cum esset fluctus: nec utique cor ejus vulneratum esse qui perit: ac similiter satum fuisse potest, ubi non fuit messis: fuisse Romæ, qui fuit Athenis: nec fuisse ferro vulneratum, qui habet cicatricem. ⁵ Alia sunt signa non necessaria, quæ εἰσῆτα Græci vocant: quæ etiam si ad tollendam dubitationem sola non sufficiunt, tamen adjuncta cæteris, plurimum valent. Signum vocant (ut dixi) σημεῖον, quanquam id quidam indicium, quidam vestigium nominaverunt, per quod alia res intelligitur, ut per sanguinem cades. At quia sanguis vel ex hostia resperxisse vestem potest, vel è naribus profluxisse: non utique qui vestem cruentam habuerit, homicidium fecerit. Sed ut per se non sufficit, ita cæteris adjunctum, testimonii loco dicitur, si inimicus, si minatus ante, si eodem loco fuit: quibus signum cum accessit, efficit ut quæ suspecta erant, certa videantur. ⁶ Alioqui sunt

¹ Ubi satum.] Non solum hæc referri possunt ad signa, verum etiam ad argumentatum à causis, tum ab effectu, tum à loco. ponuntur autem exempla à Fabio de impossibilibus, ut antea de necessariis. Idem.

² Sed quædam.] In quibusdam argumentamur à signo ad signatum, & à signato vicissim ad signum, sed id in admodum paucis, quæ necessaria sunt, inseparabilia, & exæquata. Idem.

³ Contrarium.] Ἀντισπέροντα.

⁴ Nec enim, quia.] Non videtur argumentum esse à signo, sed à specie ad genus. Porro argumentatio est mala quæ

est à genere ad speciem affirmative. Turneb.

⁵ Alia sunt signa.] Quædam signa appellantur εἰσῆτα, quasi tu dicas levia & vulgaria, illa à Cic. vocantur verisimilia, à Rodolpho consentanea. ea sunt hujusmodi uti verisimiliter & credibiliter rem probent, non tamen necessario. quanquam hoc loco quidam εἰσῆτα legunt, quæ verisimilia dicuntur, de quibus Fabius agit capite sequenti. Idem.

⁶ Alioqui sunt.] Nonnulla sunt signa quæ ex se ipsis varias res indicant. illis igitur & actor & defensor pro utilitate causæ suæ in eadem controversia uti potest. Idem.

sunt quædam signa utrique parti communia, ut *livores*, *tumores*. Nam videri possunt & *veneficii*, & *crudelitatis*. Et *vulnus in pectore*, sua manu, & aliena perisse dicentibus in æquo est. Hæc perinde firma habentur, atque extrinsecus adjuvantur. Eorum autem quæ signa sunt quidem, sed non necessaria, genus ¹ *Hermagoras* putat, *non esse virginem* ² *Atalantam*, quia cum juvenibus per sylvas vagetur. Quod si receperimus, vereor ne omnia ³ quæ ex facto ducuntur, signa faciamus. Eadem tamen ratione qua signa, tractantur. *Nec mihi videntur Areopagite cum damnaverunt puerum coturnicum oculos eruentem, aliud judicasse, quam id signum esse perniciosissimæ mentis, multisque malo futuræ, si adolevisset.* ⁴ Unde *Spurii Melii*, *Marcique Manlii popularitas, signum ætati regni est existimatum*. Sed vereor ne longe nimium nos ducat hæc via. Nam si est signum adulteræ, lavari cum viris, erit & convivere cum adolescentibus, deinde etiam familiariter alicujus amicitia uti: ut fortasse corpus vulsum, fractum incessum, ⁵ vestem muliebrem, dixerit mollis & parum viri signa, sicui (⁶ cum signum id proprie sit, quod ex eo de quo quæritur, natum sub oculos venit) ut sanguis è cæde, ita illa ex impudicitia fluere videantur. Ea quoque quæ quia plerunque observata sunt, vulgo signa creduntur, ut prognostica,

¹ *Hermagoras.*] Hermagoras attributa personæ inter signa connumerari voluit. *Pithæus*.

² *Atalanta.*] *Atalanta* virgo fuit præstantissima venatrix, à Meleagro adamatata, & ab eo Calydonii apri capite donata. Hoc signum potest vocari à consuetudine, quod tamen maxime dubium est, & vix meretur signi nomen. non enim sequitur, *virum esse bonum, si cum bonis versetur*. neque *Atalantam virginem non esse*, quia cum juvenibus vagetur. *Turneb.*

³ *Quæ ex facto.*] Nam ea sola quæ ex facto ducta sub aliquem sensum cadant, signa vocantur. *Idem*.

⁴ *Unde Spurii.*] In annonæ caritate *Spurius Melius* eques Pop. Romano frumentum est largitus. at *M. Manlius* nexos & obratos passim solvebat, & ære alieno liberabat. *Idem. Unde Spurii.*] Liv. lib. ab urbe condit. 4. & 5.

⁵ *Vestem muliebrem.*] Vide Lud. Cressollium Vocat. Autumnal. lib. 3. cap. 29. sect. 2. p. 644.

⁶ *Cum signum id.*] Cum sint ea proprie signa quæ ex aliquo orta sub oculos cadunt, superiora signa non erunt. cum tamen more signi ex se ipsis aliquid ostendant, quandam cum signo habebunt similitudinem, neque aliquis magnopere peccaverit qui signa esse dixerit. *Turn.*

¹ *vento rubet aurea Phœbe :*

Et cornix plena pluviam vocat improba voce :

si cauffas ex qualitate cœli trahunt, sane ita appellentur.

² Nam si *vento rubet Luna*, *signum venti est rubor*. Et si, ut idem poëta colligit, densatus & laxatus aër facit ut sit inde ille avium concentus, idem sentiemus. Sunt autem signa etiam parva magnorum, ut vel hæc ipsa cornix. *Nam majora minorum esse nemo miratur.*

¹ *Vento, &c.*] Georg. 1.

² *Nam si vento.*] Fabius existimat *signa illa prognostica*, quorum certa est aliqua causa, pro signis habenda esse: nam pleraque sunt quæ à rusticis obser-

vantur non stabilia, cum præsertim non pendeant à qualitate aliqua cœli atque ratione: proinde illa pro signis non habenda. *Turneb.*

CAP. X.

De argumentis.

Nunc de ¹ *argumentis*. Hoc enim nomine complecti-^{IO} mur omnia quæ Græci *ἐπιχειρήματα, ἐπιχειρήματα, ἀποδείξεις* vocant: quanquam apud illos est aliqua horum nominum differentia, etiam si vis eodem fere tendit. Nam *enthymema* (quod nos *commentum* sane aut *commentationem* interpretamur, quia aliter non possumus, Græco melius usuri) unum intellectum habet, quo ² omnia mente concepta significat, sed nunc de eo non loquimur: alterum, quo sententiam cum ratione: tertium, quo certam quandam argumenti conclusionem, vel ex consequentibus, vel ex repugnantibus: quanquam de hoc parum convenit. ³ Sunt enim qui

¹ *Argumentis.*] *Argumenta* Fabius appellat rationes probationem præstantes, quibus aliud ex alio probatur. *Argumentis* subjicit *enthymema*, *epicheirema*, *apodixin*: quanquam revera ista non tam sunt *argumenta*, quam *argumentationes*, in se ipsis *argumenta* continentes. *Turneb.*

² *Omnia mente concepta.*] Idem quoque testatur Cic. in *Topicis*, qui scribit omnem sententiam *enthymema* appella-

ri. Hermogenes nomine *enthymematis* appellat *confirmationem ergasticam*, quæ fit à circumstantiis per comparationem. *Idem.*

³ *Sunt enim qui.*] Ex triplici *enthymematis* ratione, ultima magis proposito propria est. Cic. in hac opinione esse videtur in *topicis*. ait enim, illa quæ ex contrariis sunt conclusa, per excellentiam sola appellari *enthymemata*, ut Homerus propter excellentiam com-
mune

qui illud prius *epicherema* dicant: pluresque invenias in ea opinione, ut id demum quo pugna constat, *enthymema* accipi velint. Et ideo illud Cornificius ¹ *contrarium* appellat: hunc alii ² *rhetoricum syllogismum*, alii *imperfectum syllogismum* vocaverunt, quia nec distinctis, nec totidem partibus concluderetur: quod sane non utique ab oratore desideratur. ³ *Epicherema* Valgius *aggressionem* vocat; ⁴ Celsus autem iudicat non nostram administrationem, sed ipsam rem quam aggredimur, id est argumentum quo aliquid probaturi sumus, etiam si nondum verbis explanatum, jam tamen mente conceptum, *epicherema* dici. Aliis videtur non destinata, vel inchoata, sed perfecta oratio hoc nomen accipere ultima specie. Ideoque propria ejus appellatio, & maxime in usu posita est, qua significatur certa quædam sententiæ comprehensio, quæ ex tribus partibus constat. ⁵ Quidam *epi-*

cherema

mune poetarum nomen effecit apud Græcos suum. Idem Rodolphus ex horum sententia tradit. ceterum Fabius existimat conclusionem quæ est ex consequentibus & repugnantibus, *enthymema* esse, ut docet cap. 14. *Idem.*

1 *Contrarium appellat.*] Cornificius lib. 4. ad Herennium *contrarium* finit, quod duabus rebus diversis propositis alteram facile concludit, ut, *Qui suis rationibus inimicus fuerit semper, cum quomodo alienis rebus amicum fore speres?* Et item, *Nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum quare putes inimicitias cum fide habere posse?* Et illud Salk. in Jugurtha, *Quem alienum fidum invenies, si tuis hostis fueris?* Lucani item, *Quid satis est, si Roma parum?* Et iterum, *Audes fulcire ruinam sub qua Roma jacet?* Hic autem locus manifesto comprobatur illum librum Ciceronis non esse. *Idem.*

2 *Rheticum syllogismum.*] Arist. lib. primo ad Theodecten *enthymema* appellat *rheticum syllogismum*, quia sæpius *enthymemate* utuntur oratores quam *syllogismo* integro. Idem Arist. in prioribus analyticis *imperfectum* vocat *syllogismum*. nam illi pars aliqua deesse so-

let, quæ tamen facile auditoris intellectu potest colligi. *ἐνθύμημα*, inquit, *ἢ ὅτι ἐστὶ συλλογισμὸς ἀτελής ἐξ εἰρημάτων καὶ σημείων*. Idem ipse Fab. l. 1. cap. de Geometria, *enthymema* *rheticum* vocat *syllogismum*. *Idem.*

3 *Epicherema.*] *Epicherema* Hermogeni ratio est qua aliquid confirmatur, quæ ducitur à circumstantiis. Minutiano vero generaliter omne argumentum. Hic dupliciter accipitur *epicherema*, nunc pro eo invento quo rem aliquam confirmamus, nunc pro argumentatione certa, quæ tribus constat partibus, *major*, *minore*, & *conclusionem*. *Idem. Epicherema.*] *Epicherema* & propositione & ratione constat: ut si dicas, *vivit quia spirat*. Si vero, *Spirat, ergo vivit*: apodixis est, inest enim conclusio. Igitur in *Epicheremate*, ratio; in apodixi conclusio præcipue consideratur. *Pith.*

4 *Celsus autem iudicat.*] Al. *Verrius*. al. *Verrius autem iudicio.*

5 *Quidam epicherema.*] Trapezuntius quoque Hermogenis æmulus, quod Hermogenes appellavit *epicherema*, vertit *rationem*: sed tamen *argumentum* est, non *argumentatio*. *Turneb.*

1 *Cicero.*]

cherema rationem appellarunt, ¹ Cicero melius, *ratiocinationem*: quanquam & ille nomen hoc duxisse magis à syllogismo videtur. Nam & statum syllogisticum, *ratiocinativum* appellat, exemplisque utitur philosophorum. ² Et quoniam est quædam inter *syllogismum* & *epicherema* vicinitas, potest videri hoc nomine recte abusus. ³ Ἀποδείξις est evidens probatio, ideoque apud Geometras ⁴ ἀποδεικτικὴ δόξα ποδείξις dicuntur. Hanc & ab *epicheremate* differre Cæcilius putat solo genere conclusionis, & esse *apodixin* ⁵ imperfectum *epicherema*, eadem causa qua diximus *enthymema* à *syllogismo* distare. Nam & ⁶ *epicherema* syllogismi pars est. ⁷ Quidam inesse *epicheremati* *apodixin* putant, & esse partem ejus confirmantem. ⁸ Utrunque autem quanquam diversi auctores, eodem modo finiunt, ut sit ratio per ea quæ certa sunt, fidem dubiis afferens. quæ natura est omnium argumentorum, neque enim certa incertis declarantur. ⁹ Hæc omnia generaliter *πίσις* appellant: quod etsi propria interpreta-

pretatione

1 Cicero.] In Rhetoric. & alibi.

2 Et quoniam est.] Quod philosophis est *syllogismus*, id est rhetoribus *epicherema*. quanquam Fab. aliam affert differentiam, quod *epicherema* constet creditibilibus, *syllogismus* necessariis: quæ differentia non est conclusionis, sed materiæ. & alioqui videtur illic *syllogismum* dixisse pro *apodixi*. Turneb.

3 Ἀποδείξις.] Demonstratio est *syllogismus* certissimus qui ex primis & immediatis & prioribus ac notioribus causis conclusionis argumentatur & scientiam parit. Hoc *syllogismo* crebro utuntur geometræ, adduntque ad evidentiam quasdam linearum descriptiones. semper enim ex necessariis construitur. De hoc vide Melanchthonem. Idem.

4 Ἀποδεικτικὴ δόξα.] De his Fab. l. r. c. de Geomet. Idem.

5 Imperfectum *epicherema*.] Cæcilius videtur accepisse *epicherema* pro evidenti argumentatione, quæ omnibus suis constaret partibus: *Apodixin* autem pro ar-

gumentatione evidenti cui pars aliqua deesset. Idem.

6 *Epicherema*.] Alii, *Enthymema*.

7 Quidam inesse *epicheremati*.] Alii existimant *apodixin* non esse argumentationem, sed duntaxat *argumentum*. id est, rationem illam certam & indubitatam quæ continetur in *epicheremate*. Turneb.

8 Utrunque autem.] Tam *epicherema* quam *apodixin*. Cic. 4. acad. Itaque argumenti conclusio, quæ est græce ἀποδείξις, ita definitur, Ratio quæ ex rebus perceptis adducit ad id quod non percipiebatur. Unde hic *ratio*, non *oratio* legatur. Idem Fab. de *Epicheremate* cap. ultimo hujus libri. Itaque *utrunque* hic legendum, non *utrunque*, ut emendat Raph. Idem.

9 Πίσις.] Unde Halicarnass. *πίσις ἐντέχνυς*. Vide Laurentium Vallam, Budæum in annot. in *pandectas*, & in *Comment. Græcaneis*. Idem. Hæc omnia generaliter *πίσις* appellant.] Vide Vossium *Instit. Orat. lib. 3. cap. 5. p. 370. & 369.*

pretatione dicere *fidem* possumus, apertius tamen *probationem* interpretabimur. Sed *argumentum* quoque plura significat. ¹ Nam & fabulæ ad actus scenarum compositæ, *argumenta* dicuntur: & orationum Ciceronis velut thema ipse exponens Pedianus, *Argumentum*, inquit, tale est. & ipse Cicero ad Brutum ita scribit, *Veritus fortasse ne nos in Catonem nostrum transferamus illinc mali quid, etsi argumentum simile non erat.* Quo apparet omnem ad scribendum destinatam materiam ita appellari. ² nec mirum cum id inter opifices quoque vulgatum sit: unde ³ Virgilio *Argumentum ingens*: vulgoque paulo numerosius opus dicitur *argumentosum*. ⁴ Sed nunc de eo dicendum argumento est, quod *probationem, indicium, fidem, aggressionem*, ejusdem rei nomina, Celsus facit, parum distincte, ut arbitror. Nam *probatio* & *fides* efficitur non tantum per hæc quæ sunt rationis, sed etiam per inartificialia. *Signum* autem, quod ille *indicium* vocat, ab argumentis jam separavi. ⁵ Ergo cum sit argumentum, ratio probationem præstans, qua colligitur aliud per aliud, & quæ quod est dubium, per id quod dubium non est, confirmat: necesse est esse aliquid in causa quod probatione non egeat. Alioqui nihil erit quo probeamus, nisi fuerit quod aut sit verum, aut videatur ex quo dubiis fides fiat. Pro certis autem habemus primum quæ sensibus percipiuntur, ut quæ videmus, audimus: qualia sunt *signa*. Deinde ea in quæ communi opinione consensum est,

Deos

¹ Nam & fabulæ.] Cornificius etiam lib. primo ad Herennium *argumentum* appellat *rem fictam*, sed tamen verisimilem, cujusmodi esse solet in comædiis. meminit & Fabius quarto capite libri secundi. Turneb.

² Nec mirum.] Opifices non solum materiam appellant *argumentum*, verum etiam materiam elaborationem & digestionem. Unde Cic. septima actione in Verrem scripsit, ex eboris diligentissime perfecta *argumenta* in valvis erant. id est, *simulachra descripta*. Idem.

³ Virgilio.] Virgil. Æneid. 7. cir. fin.

⁴ Sed nunc.] Deesse videtur hoc loco cujusdam auctoris nomen, qui à Fabio reprehenditur: nisi forte id hac ratione factum est, quod auctor ille tempore Fabii notissimus esset. suspicantur aliqui *Celsum* esse, aliqui *Plinium*. Turnebus.

⁵ Ergo cum sit.] Addit demum veram argumenti definitionem. cui subijcit generalia quædam præcepta & axiomata, antequam locos argumentorum sigillatim persequatur. Idem.

i Qua

Deos esse, præstandam pietatem parentibus. Præterea quæ legibus cauta sunt, ¹ quæ persuasione etiam si non omnium hominum, ejus tamen civitatis aut gentis in qua res agitur, in mores recepta sunt: ut ² pleraque in jure non legibus sed moribus constant. Si quid inter utranque partem convenit, si quid probatum est: denique cuicumque adversarius non contradicit. ³ Sic enim fiet argumentum, *Cum providentia mundus regatur, administranda est respublica: ut administranda respublica sit, si liquebit mundum providentia regi.* Debet etiam nota esse recte argumenta tractaturo, vis & natura omnium rerum, & quid quæque earum plerunque efficiat. hinc enim sunt quæ ⁴ εἰρήνη dicuntur. *Credibilium autem genera sunt tria.* Unum firmissimum, quod fere accidit, ut *liberos à parentibus amari.* Alterum velut propensius, *Eum qui recte valeat, in crastinum perventurum.* ⁵ Tertium tantum non repugnans, *In domo furtum factum ab eo qui domi fuit.* ⁶ Ideoque Aristoteles in secundo de arte Rhetorica libro diligentissime est executus quid cuique rei, & quid cuique homini soleat accidere: & quas res, quosque homines, quibus rebus aut hominibus vel conciliasset vel alienasset ipsa natura: ut *divitias*

¹ *Quæ persuasio.*] Hoc de consuetudine est intelligendum. nam *consuetudo recepta* (ut ait Justinianus) legis vim habet. hinc existit jus illud quod appellatur, *moribus constitutum.* Idem.

² *Pleraque in jure non legibus.*] Senec. Quædam jura non scripta, omnibus scriptis certiora sunt. Jul. Inveterata consuetudo pro lege non immerito custoditur. Et hoc est jus quod dicitur, *moribus constitutum.* Pith.

³ *Sic enim fiet.*] Plato philosophum ad remp. administrandam venire non debere dicebat nisi cogeretur. idem tamen fatetur mundum providentia regi. igitur ex concessis argumentari poteris in Platonem. Turneb.

⁴ *Εἰρήνη.*] Arist. 1. 2. priorum *Analyticorum* ait εἰρήνη esse *propositionem probabilem*, quæ in his sit rebus ex quibus

plerunque aliquid efficiatur & nascatur: ut invidi solent odisse. verba ejus sunt, εἰρήνη ἐστὶ ἀσπίς ἐνδοῦ. ὁ γὰρ ὡς ἐπιπλεῖσεν ἕως γυμνάριον ἢ ὄν ἢ μὴ ὄν, τὰ τ' ἐστὶν εἰρήνη, οἷον τὸ μισεῖν φθονοῦσας, τὸ φιλεῖν τὰς ἐρωμύνας. Idem.

⁵ *Tertium tantum.*] Tertium hoc omnium est infirmissimum, ideoque vix habet credibilis naturam, & ea de causa mihi videbatur Fabius cap. 8. illud à credibili separare. Idem.

⁶ *Ideoque Aristoteles.*] Arist. lib. 2. ad Theodecten fusissime agit de probationibus patheticis & ethicis, ideoque latissime explicat quæ sit cujusque affectus & cujusque hominis natura: nam hoc multum prodest ad credibiliter argumentandum. Idem fere Horat. in arte poet. epist. & sermonibus. Idem.

*vitias qui sequatur, aut ambitum, aut superstitionem: quid boni probent, quid mali petant, quid milites, quid rustici: quo quaque modo res vitari vel appeti soleat. Verum hoc exequi mitto: non enim longum tantum, sed etiam impossibile, ac potius infinitum est: præterea positum in communi omnium intellectu. Si quis tamen desideraverit, à quo peteret, ostendi. ¹ Omnia autem credibilia, in quibus pars maxima consistit argumentationis, ex hujusmodi fontibus fluunt, *An credibile sit à filio patrem occisum, incestum cum filia commissum: & contra veneficium in noverca, adulterium in luxurioso.* Illa quoque, ² *An scelus palam factum, an falsum dixerit, propter exiguam summam:* quia suos quisque horum velut mores habet, plerunque tamen, non semper: ³ alioqui indubitata essent non argumenta. Excutiamus nunc argumentorum locos: quanquam quibusdam ii quoque de quibus supra dixi videntur. *Locos* appello, ⁴ non ut vulgo nunc intelliguntur, *in luxuriam, & adulterium, & similia:* sed ⁵ *sedes argumentorum, in quibus latent, ex quibus sunt petenda.* ⁶ Nam ut in terra non omni generantur omnia, nec avem aut feram reperias, ubi quæque nasci aut morari soleat, ignarus: & piscium quoque genera alia planis gaudent, alia saxosis, regionibus etiam littoribusque discreta sunt, nec *helopem* ⁷ nostro*

¹ *Omnia autem.*] Exempla ponit duplicia hoc loco Fabius, propterea quod rhetores qui *hypothesein* tractant, *argumentis* utuntur duplicibus, tum à re tum à *persona* ductis. sic igitur Fabius *exempla credibilium* subjecit. Idem.

² *An scelus.*] Alii codices ita legunt, *an scelus quia palam factum.* quanquam idem quoque est sensus in hac lectione. nam pleraque clandestina & dolosa scelus habent, quæ si palam fiant, *scelerosa* non videntur. Idem.

³ *Alioqui indubitata.*] *Causæ forenses*, de quarum argumentationibus loquitur, *ancipites* sunt in utranque partem: nam alioqui lites non essent. Proinde fit ut *argumenta* duntaxat admittant pro-

babilia. nam si necessaria adhiberentur, protinus quaestio tolleretur, essetque genus *assystaton.* Idem.

⁴ *Non ut vulgo.*] De quibus tradidit *lib. 2. cap. 4. & 1.*

⁵ *Sedes argumentorum.*] Sic enim appellata ab Aristotele, è quibus argumenta promuntur, inquit Cicero in *Topicis.* τῶπι græce, de quibus Aristot. 8. libris tradidit. Idem.

⁶ *Nam ut in terra.*] Comparatio elegans & varia, qua Varro *lib. 1. cap. 6. de re rustica,* & Columella *lib. 8.* utuntur. Idem.

⁷ *Nostro mari.*] Ovidius in *lib. de piscibus,* ait *Helopem* ignotum esse littoribus Italicis: unde colligit Plinius illos

errare

stro mari, aut *scarum* ducas: ita non omne argumentum undique venit: ideoque non passim quærendum est. Multus alioqui error est: & exhausto labore, quod non ratione scrutabimur, non poterimus invenire nisi casu. At si scierimus ubi quicque nascatur, cum ad locum ventum erit, facile quod in eo est, pervidebimus. ¹ In primis igitur argumenta sæpe à *persona* ducenda sunt: cum sit, ut dixi divisio, ut omnia in hæc duo partiamur, *res* atque *personas*: ut *caussa*, *tempus*, *locus*, *occafio*, *instrumentum*, *modus*, & cætera, rerum sint accidentia. *Personis* autem non quicquid accidit, exequendum mihi est, ut plerique fecerunt, sed unde argumenta sumi possunt. Ea porro sunt, ² *Genus*: nam similes parentibus ac majoribus suis filii plerunque creduntur: & nonnunquam ad honeste turpiterque vivendum inde causæ fluunt. ³ *natio*: nam & gentibus proprii mores sunt: nec idem in Barbaro, Romano, Græco, probabile est. *Patria*: quia similiter etiam civitatum leges, instituta, opiniones habent differentiam. *Sexus*: ut latrocinium facilius in viro, venefi-

errare qui *Helopem* existiment esse *acipenserem*. tamen Gaza Plutarchum secutus *Helopem* in Arist. transtulit *acipenserem*. Plurimus est piscis in Pamphylio freto. *Scaurus* solus piscium ruminat. reperitur in mari *Astatico* ad Siculum usque, alibi non reperias. *Nec helopem nostro mari aut scarum.*] Vide Plin. lib. 9. capite 17. Columell. libro 8. cap. 16. Agellium lib. 7. cap. 6. Pithœi Collectanea ad Petronium pag. 175. Edit. Goldasti.

¹ *In primis igitur.*] Nonnulli duplices faciunt *locos*: quosdam *rhetoricos*, qui à circumstantiis ducuntur, & pertinent ad hypothesein: quosdam rursus *dialecticos*, qui *topici* dicuntur, magisque pertinent ad theseos confirmationem, nec perinde circumstantias sequuntur: quantum re vera illi *rhetorici* ad *dialecticos* reduci possunt. Turneb.

² *Genus.*] Cujus exemplum apud Cic. pro *Muræna*, de Catone proavo M. Ca-

tonis. 2. Philip. de Antonio. Idem.

³ *Natio.*] *Natio* nomen generalius est, complectiturque eas regiones quæ communi utuntur nomine: *patria* vero specialius, certamque significat regionem aut civitatem. Unde Ulpianus l. 21. de ædilitio edicto, *Præsumptum etiam quosdam servos bonos esse, quia natione sint non infamata: quosdam malos videri, quia natione ea sunt, quæ magis est infamis.* Et, ut inquit Livius lib. 5. Decad. 5. *Tam civitatum quam singulorum hominum mores sunt: gentes quoque aliæ iracundæ, aliæ audaces, quædam timidæ, in vinum Venereque proniores aliæ sunt, & cætera quæ sequuntur.* Exemplum est apud Cic. pro Cluentio, *Quid tu, inquit, Pacete? hoc enim sibi Stalenus cognomen ex imaginibus aliorum delegerat: ne si se Ligurem fecisset, nationis magis suæ quam generis uti cognomine videretur.* Et Virgil. lib. Æneid. undecimo, *Vane Ligur, &c.* quæ seq. & similia infinita. Idem.

I *Ætas*

veneficium in foemina credas. ¹ *Ætas*: quia aliud aliis annis magis convenit. ² *Educatio, & disciplina*: quoniam refert à quibus, & quo quisque modo sit institutus. ³ *Habitus corporis*: ducitur enim frequenter in argumentum species libidinis, robur petulantia: his contraria in diversum. ⁴ *Fortuna*: nec enim idem credibile est in divite, ac paupere: propinquis, amicis, clientibus abundante, & his omnibus destituto. *Conditionis* etiam distantia est. nam clarus an obscurus, magistratus an privatus, pater an filius, civis an peregrinus, liber an servus, maritus an cœlebs, parens liberorum an orbus sit, plurimum distat. ⁵ *Animi natura*: etenim avaritia, iracundia, misericordia, crudelitas, severitas, aliaque his similia afferunt fidem frequenter, aut detrahunt: ⁶ sicut victus, luxuriosus, an frugi, an fordidus, quæritur. ⁷ *Studia* quoque: nam rusticus, forensis, negotia-

¹ *Ætas.*] Quæ non annis semper æstimatur, sed indole. hunc locum juxta circumstantias Paulus ad Titum elegantissime tractat, quid senibus, quid aniculis, quid puellis, quid juvenibus, quid nuptis, quid viduis conveniat. Vide *Eras.* in *Eccles.* Idem.

² *Educatio ac disciplina.*] Exemplum apud Cic. 5. in Verrem de filio Verris. & 2. Philippic. de Anronii educatione, ibi, *Quid tibi venit in mentem, &c.* Idem.

³ *Habitus.*] *Habitus corporis* appellat certam corporis constitutionem. *In formosa* credibilis adulterii crimen, quam in deformi: *in robusto* violentum facilius quam in imbecilli. *Qui corpore valent*, ad industriam extimulandi: *qui minus*, ad ea quæ animis præstantur. Est & *habitus animi*; quo significatur quædam animi affectio & dispositio, qua de re posterius ager. *Idem.*

⁴ *Fortuna, &c.*] Cicero hos duos locos nomine *fortuna* complectitur, Fabius discernit, ac *fortunam* ponit in divitiis & opibus: *conditionem* in quodam personæ statu & quibusdam accidenti-

bus. De his fuse Erasmus in *Ecclesiaste*. Idem.

⁵ *Animi natura.*] *Animi naturam* vocat, naturalem quandam animi propensionem ad aliquod virtutum aut virtutem, multiplicemque habet in hominibus varietatem. Porro hæ omnes *circumstantia personarum* aut ducuntur ab animo, aut corpore, aut rebus extraneis. Exemplum est pro L. Muræna, initio orationis, *ubi se excusat Cic. Catoni quod non sit natura severus.* Idem.

⁶ *Sicut victus.*] Cic. atque alii *victum* sub educatione & disciplina complectuntur, Fabius tamen ista exactius distinguere voluit. Vide *Eras.* in *Eccles.* Idem.

⁷ *Studia.*] *Studium* appellamus assiduam ac diurnam aliqua in re occupationem ac vacationem. Complectitur igitur *studium* artes quas exercere solemus, & vitæ nostræ instituta. Horum proprietates diligenter animadversa, in omni hominum genere varios locos suppeditabunt. Vide *Eras.* in *Eccles.* Idem.

gotiator, miles, navigator, medicus, aliud atque aliud efficiunt. ¹ Intuendum & quid affectet quisque, locuples videri an disertus, justus an potens. Spectantur ante acta dictaque. ² Ex præteritis enim æstimari solent præsentia. His adjiciunt quidam ³ commotionem: hanc accipi volunt temporarium animi motum, sicut iram, pavorem. Consilia ⁴ autem, & præsentis & præteriti & futuri temporis: quæ mihi ⁵ etiamsi personis accidunt, referenda tamen ad illam partem argumentorum videntur, quam ex causis ducimus: sicut ⁶ habitus quidam animi, quo tractatur amicus, an inimicus. Ponunt in persona & ⁷ nomen: quod quidem ei accidere necesse est, sed in argumentum raro cadit: nisi cum aut ex causa datum est, ut sapiens, magnus, planus: aut & ipsum alicujus cogitationis attulit causam, ut Lentulo conjurationis, quod libris Sibyllinis aruspicumque responsis dominatio dari tribus Corneliis dicebatur, seque eum tertium esse credebat post Syllam Cinnamque, quia & ipse Cornelius erat. Nam & illud apud ⁸ Euripidem frigidum sane, quod

nomen

¹ Intuendum & quid.] Addit Fabius afflictionem, quæ à reliquis est omissa. est autem in eo posita, cum quidpiam affectamus. addit Cicero afflictionem, sed huic diversam: est enim posita in temporario animi affectu aliqua de causa, ut in ira, & similibus. Idem.

² Ex præteritis.] Cicero tamen facta dictaque tripliciter putat tractari, ex præteriti, præterito, & futuro. Idem.

³ Commotionem.] Cum repentinus est affectus, neque perdurat, commotio dicitur aut affectio, ut manifestum est ex Cic. in Partit. & 1. de Inventione. cæterum cum animo quasi peculiaris est, referri debet ad animi naturam: itaque ira & timor commotiones sunt, timiditas & iracundia vitia sunt animi, ac referuntur ad naturam sive habitum animi. Idem.

⁴ Autem.] Alii item.

⁵ Etiam si personis.] Cicero consilium retulit inter circumstantias personarum, tamen ad illam potius circumstantiam

pertinet quæ ducitur ex causa, quia propter aliquam causam de re solemus consilium inire. Idem.

⁶ Habitus quidam animi.] Habitus animi, animi quædam est constitutio, quæ ex deliberatione & consilio orta est. Idem.

⁷ Nomen.] Est, quod cuique tanquam proprium, quo appellatur, vocabulum attribuitur, ut Cato sapiens, Pompejus magnus. Raro tamen inde ducitur argumentum apud iudices, nisi ex causa sit datum. Aristides dictus est justus: Alexander Mamea, quod nimium obsecundaret matri. Aut si nomen occasionem dederit facinoris aggrediendi, ut Lentulo. Cum enim incensum esset Capitolium, ajunt respondisse aruspices, dominaturos esse tres Cornelios. igitur cum vicesimo post anno cum Catilina Lentulus conjuraret, hac potissimum ducebatur ratione. Idem.

⁸ Euripidem.] In Phœnissia apud Euripidem

nomen Polynicis ut argumentum morum frater incescit. ¹ Jocorum tamen ex eo frequens materia, qua Cicero in Verrem non semel usus est. Hæc fere circa personas sunt, aut his similia. Nec enim complecti omnia vel hac in parte, vel in cæteris possumus, contenti rationem plura quæsituris ostendere. ² Nunc ad res transeo, in quibus maxime sunt personis, junctæ quæ agimus, ideoque prima tractanda. In omnibus porro quæ fiunt, quæritur aut quare, aut ubi, aut quando, aut quomodo, aut per quæ facta sunt. Ducuntur igitur argumenta ex causis factorum, vel futurorum: ³ quorum materiam, quam ὄλλω alii, δυνάμιν alii nominaverunt, in duo genera, sed quaternas utriusque dividunt species: Nam fere versatur ratio faciendi circa bonorum adeptionem, incrementum: conservationem, usum: aut ⁴ malorum evitacionem, liberationem, imminutionem, conversionem. nanque & hæc in deliberando plurimum valent. ⁵ Sed has causas habent recta: prava contra ex falsis opinionibus veniunt. Nam est his initium ex iis quæ creduntur bona aut mala, ⁶ inde errores existunt, & pessimi affectus: in quibus sunt

ripidem Etheocles fratrem exagitat, in eaque contentione ait merito illum appellari Polynicem, quasi multum contentiosum, recteque illi inditum esse à patre nomen, ἔξιθι χάριτος, ἀληθῶς δὲ ὄνομα πολυνείκλω πατρὸς ἕθετό σοι θεία ἄεθροία νεκρέων ἐπώνυμον. Idem.

1 Jocorum.] Fabius putat ex nomine sumi materiam jocorum potius quam argumentorum, quemadmodum multa Cic. jocatur in Verrem, quod omnia verberet, id est, raperet, quod porcus, id est sordidus esset. sic in oratione pro Roscio Amer. in Phormionis testes, & pro Cluentio in Chryfogoni nomine jocatur. sed de his fufius lib. 6. de risu. Item Erasim. in suo Eccles. hunc locum prolixè tradit & doctè. Idem.

2 Num ad res transeo.] Cicero negotiis attributa in quatuor divisit, in continentia cum ipso negotio, in ea quæ sunt

in rei gestione, in negotio adjuncta, & in consecutione. de quibus omnibus hic agit Fabius. Idem.

3 Quorum materia.] Locus hic est finalis. nam propter has res aliquid agere solemus. appellat autem materiam Fab. res ipsas quas vel expetimus vel fugimus. est autem hic locus maxime proprius deliberationis, ut docet Hermogenes libro secundo de Inventione. Idem.

4 Malorum evitacionem.] In scrip. codicib. legitur duntaxat, aut malorum evitacionem, & imminutionem. nanque & hæc, &c.

5 Sed has causas.] Causas dividit Cicero in ratiocinationem, quæ maturo constat consilio, & boni expetitione aut mali fuga ducitur: & in impulsione, quæ ex animi motu & affectione impellit ad aliquid agendum. Turneb.

6 Inde errores.] Id est falsa opinioniones. Idem.

sunt ira, odium, invidia, cupiditas, spes, ambitus, audacia, metus, cæteraque generis ejusdem. Accedunt aliquando ¹fortuita, ebrietas, ignorantia. Quæ interim ad veniam valent, interim ad probationem criminis: ut *siquis dum aliis insidiatur, alium dicatur interemisse.* ²Caussa porro non ad convincendum modo quod objicitur, sed ad defendendum quoque excuti solent, cum quis se recte fecisse, id est honesta causa contendit, qua de re latius in tertio libro dictum est. ³Finitiones ex causis interim pendent. *An tyrannicida, qui tyrannum à quo deprehensus in adulterio fuerat, occidit. An sacrilegus qui ut hostes urbe expelleret, arma templo affixa detraxit.* Ducuntur argumenta & ex loco. Spectatur enim ad fidem probationis, *montanus an planus, maritimus an mediterraneus, confitus an incultus, frequens an desertus, propinquus an remotus, oportunus consiliis an adversus.* quam partem videmus vehementissime ⁴pro Milone tractasse Ciceronem. ⁶Et hæc quidem ac similia ad conjecturam frequentius pertinent: sed interim ad jus quoque, *privatus an publicus, sacer an profanus, noster an alienus:* ut in persona, *magistratus, pater, peregrinus.* Hinc enim quæstiones oriuntur:

¹ Fortuita.] Homines (ut ajunt jurif-
consulti) omnia agunt aut proposito, aut
impetu, aut fortuito. quibus de rebus
agit hoc loco Fabius. Idem.

² Cause porro.] In statu qualitatis cau-
sas afferre solemus, ut factum esse no-
strum justum probemus. qua de re Fa-
bius egit ultimo cap. lib. 3. Idem.

³ Finitiones.] Fabius, ut initio pol-
licitus erat, non solum ea quæ sunt com-
munia persequitur, verumetiam ipsis
causis & statibus locos accommodat.
Idem.

⁴ Arma templo affixa.] Nam emeriti
milites arma sua templi postibus affige-
bant, iidem etiam spolia & arma ho-
stium in ornamentum illic ponebant.
Idem.

⁵ Pro Milone.] Cum ait, Videamus
nunc, id quod caput est, locus ad insidias

ille ipse ubi congressi sunt, utri tandem fue-
rit optior, &c. quæ sequuntur. Idem.

⁶ Et hæc quidem.] Locus valet &
ad probandum & ad quæstionem consti-
tuendam. Probare solet in conjectura: in
cæteris statibus non tam probat, quam
quæstionem constituit, quanquam in
his quoque interdum valet ad augendam
culpam aut minuendam. Idem.

⁷ Publicus an privatus.] Ut pro eodem
Mil. Insidiator erat in foro collocatus, at-
que in vestibulo ipse senatus, &c. Idem.

⁸ Sacer an profanus.] Ut ibidem, de
violatis Bonæ Deæ ceremoniis. & iterum
ibidem, Comprehensus est in templo Casto-
ris servus P. Clodii, quem ille ad Cn.
Pompejum interficiendum collocarat. hanc
quoque circumstantiam maxime theolo-
gi tractant, ut videre potes latius apud
Erasm. in Ecclef. Idem.

¶ Movi-

tur: Privatam pecuniam sustulisti, verum quia de templo, non furtum, sed sacrilegium est. Occidisti adulterum, quod lex permittit: sed quia in lupanari, cædes est. Injuriam fecisti, sed quia magistratui, majestatis actio est. Vel contra, Licuit, quia pater eram. quia magistratus. Sed circa facti controversiam argumenta, præstant circa juris lites materiam quæstionum. Ad qualitatem quoque frequenter pertinet locus. Neque enim ubique idem aut licet, aut decorum est, quin etiam in qua quicque civitate quærat, interest. ¹ Moribus enim & legibus distant. Ad commendationem quoque & invidiam valet. Nam & Ajax apud Ovidium, ² Anterates, inquit, agimus causam, & mecum confertur Ulysses. ³ Et Miloni inter cætera objectum est, quod Clodius in monumentis ab eo majorum suorum esset occisus. ⁴ Ad suadendi momenta idem valet. sicut tempus, cujus tractatum subjungam. ⁵ Ejus autem (ut ⁶ alio loco jam dixi) duplex significatio est. Generaliter enim & specialiter accipitur. Prius illud est, nunc, olim, sub Alexandro, cum apud Ilion pugnatum est. denique præteritum, instans, futurum. Hoc sequens habet & constituta

¹ Moribus enim, &c.] Nam cum sint aliæ leges Lacedæmoniorum, aliæ Atheniensium, aliæ Romanorum, diversum proinde exoritur jus. Licebat Athenis sedentaria opificia exercere, & oratoriam facultatem: neutrum licebat Lacedæmone. Idem.

² Anterates, &c.] Nam Ajax antea naves Græcorum ab incendio solus defenderat, cum cæteri duces fugissent, aut vulnerati essent. hoc igitur ipso & se commendavit, & adversario conflavit invidiam.

³ Et Miloni.] Quod Cicero eleganter elevat, An eo mors atrocior erit P. Clodii, quod is in monumentis majorum suorum sit interfectus? hoc enim sæpe ab ipsis dicitur. Perinde quasi Appius ille Cæcus, &c. quæ sequuntur. Idem.

⁴ Ad suadendi momenta.] Hinc illa Macedonum interrogatio, Ecquid Roma-

ni volare possent, aut quo pacto Macedonia montes essent transaturi. hinc Hannibalis in Italiam transgressi exhortatio ad milites, ut acriter pugnarent: quippe qui à tergo Alpibus, à latere duobus matibus clausi; nulla sperarent aufugia: at contra Rom. timidis esse licere, qui in tuta fugam suam conferre possent. & similia alia. Idem.

⁵ Ejus autem.] Duplex est tempus: generale, quod citra circumscriptionem dicitur, referturque ad præsens, præteritum, & futurum, & ἡγεῖν græce dicitur: speciale, quod rei agendæ vel non agendæ opportunitatem aut importunitatem indicat, græce ὑπερῆς, hoc posteriori à quibusdam dicitur occisus. De hoc fuffi. Eras. in Eccles. & Rodolph. lib. 1. cap. 19. Idem.

⁶ Alio loco.] Lib. 3. cap. de statib. Idem.

tuta discrimina, *estate, hyeme, noctu, interdiu*: & fortuita, *in pestilenta, in bello, in convivio*. Latinorum quidam satis significari putaverunt, ¹ si illud *generale*, hoc *speciale* vocarent. ² Quorum utrorumque ratio & in consiliis quidem, & in illo demonstrativo genere versatur: sed in judiciis frequentissima est. ³ Nam & juris quæstiones facit, & qualitatem distinguit, & ad conjecturam plurimum confert: ut cum interim probationes inexpugnabiles afferat, quales sunt si dicatur (ut supra posui) *signator, qui ante diem tabularum decessit*: aut *commisisse aliquid vel cum infans esset, vel cum omnino natus non esset*. ⁴ præter id, quod omnia facile argumenta aut ex iis quæ ante rem facta sunt, aut ex conjunctis rei, aut insequentibus ducuntur. Ex antecedentibus, *Mortem minatus es, noctu existi, proficiscentem antecessisti*. ⁵ Causæ quoque factorum, præteriti sunt temporis. Sed tempus subtilius quidam quam necesse erat, diviserunt, ⁶ ut esset *uncti, sonus auditus est*: *adhærentis, clamor sublatu est*: insequentis illa, *latuisti, profugisti*, ⁷ *livores & tumores apparuerunt*. Iisdem temporum gradibus defensor utetur ad detrahendam

¹ Si illud generale tempus.] In codice Laurentii Vallæ aliter scribitur, & longe melius, *Si illud generale, tempus: hoc speciale, tempora vocarent*. Idem.

² Quorum utrorumque ratio.] In causis susforis sæpenumero tractatur præteritum, præsens, & futurum tempus: præterea sæpenumero quæritur de occasione rei & opportunitate: at in genere demonstrativo laus hominum in tria tempora dividitur, ut docuit Fabius libro tertio. Idem.

³ Nam & juris quæstiones.] Legitimæ nonnullæ quæstiones à tempore oriuntur: ut si quis adulterum qui effugerit, postea reperit interfecerit. Tempus quoque interdum facit qualitatem assumptivam, ut cum accusatur comessator in pestilentia. nam quanquam comessari per se fortassis turpe non videatur, illo tempore tamen turpe erit. Hæc fusius apud Erasm. in Eccles. Idem.

⁴ Præter id.] Docere nititur latissime patere temporis rationem. nam (ut docuit cap. 8.) *argumenta omnia ducuntur aut ex præterito tempore, aut præsentis, aut futuro*. Idem.

⁵ Causæ quoque factorum.] Tempus præsens hoc loco metimur ex ipso facto, ac proinde non necessarium est, cum causæ factum præcedant, sint præteriti temporis. Idem.

⁶ Ut esset uncti.] *unctum* appellare videtur tempus, quod paulum antecedit, sed tamen quasi præsens est, & cum facto jungitur: *adhærens* vero, quod omnino præsens est, & facto ipsi adhæret. Alii tamen *unctum* pro præsentis interpretantur, *adhærens* vero pro annexo & quasi præsentis. Hoc autem nimis est affectatum, & alioquin supervacaneum. Idem.

⁷ Livores & tumores.] Hæc omnia quæ hîc tractantur, referri debent ad locum ab adjunctis. nam, ut ait Cicero,

hendam ei quod objicitur, fidem. In his omnis factorum dictorumque ratio versatur, sed dupliciter. ¹ Nam fiunt quædam, quia aliud postea futurum est: quædam, quia aliud antea factum est: ut *cum objicitur* ² *reo lenocinii speciosa marito*, quod adulterii damnatam quandam emerit aut paricidii reo luxurioso, *quod dixerit patri, Non amplius me objurgabis*: Nam & ille non quia emit, leno est: sed quia leno erat, emit. Nec hic quia sic erat locutus occidit: sed quia erat occisurus, sic locutus est. ³ *Casus* autem, qui & ipse præstat argumentis locum, sine dubio est ex insequentibus: sed quadam proprietate distinguitur: ut si dicam, *Melior dux Scipio quam Annibal: vicit Annibalem. Bonus gubernator: nunquam fecit naufragium. Bonus agricola: magnos sustulit fructus. Et contra, Sumptuosus fuit, patrimonium exhaustit, turpiter vixit. vel, omnibus invisus est.* ⁴ Intuendæ sunt, præcipueque in conjecturis, & *facultates*. Credibilius est enim occisos à pluribus pauciores, à firmioribus imbecilliores, à ⁵ vigilantibus dormientes, à præparatis inopinantes. Quorum contraria in diversum valent. Hæc & in deliberando intuemur, & in judiciis ad duas res solemus referre, *an voluerit quis, an potuerit.* nam & voluntatem spes facit. Hinc illa apud Ciceronem conjectura: *Insidiatus est Clodius Miloni, non Milo Clodio: Ille cum servis robustis, hic cum mulierum comitatu: ille in equo, hic in rheda: ille expeditus, hic penula irreti-*

tus.

in eo loco tractatur *quid ante rem fuerit, quid cum re, quid post rem.* Idem.

¹ *Nam fiunt quædam.*] Quædam facta rationem habent *ad futurum*, quædam *ad præteritum*: atque ea de causa fiunt: quo fit ut in ipsis factis trium temporum ratio concipiatur. Idem.

² *Reo lenocinii.*] *Lenocinium* facit, qui quæstuarium habet & meritoria corpora. eodem crimine tenetur, qui finit uxorem suam adulterari. Idem.

³ *Casus autem.*] Subjicit Fab. quoque *casum tempore futuro.* observatur autem in ipso rei exitu & eventu: itaque de eo *fufius* agitur in eventis. Idem.

⁴ *Intuendæ sunt.*] *Facultatem* appellat opportunam & commodam rei gerendæ potestatem, & quandam quasi facilitatem. est autem hic locus magna ex parte conjecturalis, ut docebit Fabius lib. 7. cap. *de conjectura.* Exemplum est in oratione Cic. pro Sex. Roscio Amerino, *Videamus nunc, & quæ facultates suscipiendi maleficii fuerint, &c.* quæ sequuntur. Vide *fuse* Erasmi in *Eccles.* Idem.

⁵ *Vigilantibus dormientes.*] Exemplum est apud Cic. in oratione pro Sexto Roscio de duobus juvenibus: & Valerium Maximum. Idem.

I *Modus.*]

tus. Facultati autem licet instrumentum conjungere. Sunt enim in parte facultatis & copiae. Sed ex instrumento aliquando etiam signa nascuntur, ut *spiculum in corpore inventum*. His adjicitur ¹ *modus*, quem *τρόπος* dicunt, quo quaeritur quemadmodum quid sit factum: id quod tum ad qualitatem scriptumque pertinet: ut *si negemus adulterum veneno licuisse occidere, sed ferro oportuisse*. tum ad conjecturam quoque: *ut si dicam bona mente factum, ideoque palam: mala, ideoque ex insidiis, nocte in solitudine*. ² In rebus autem omnibus, de quarum vi aut natura quaeritur, quasque etiam citra complexum personarum, ceterorumque ex quibus fit causa per se intueri possumus, tria sine dubio rursus spectanda sunt, *an sit, quid sit, quale sit*. ³ Sed quia sunt quidam loci argumentorum his omnibus communes, dividi haec tria genera non possunt, ideoque locis potius, ut quosque incurrent, subjicienda sunt. Ducuntur igitur argumenta ⁴ *ex finitione*, seu *sine*: nam utroque modo traditur. Ejus duplex ratio est. ⁵ Aut enim simpliciter quaeritur, *sitne hoc virtus*. aut antecedente finitione, *quid sit virtus*. ⁶ Id aut universum verbis complectimur, ⁷ *ut, Rhetorice est bene dicendi scientia*, aut

per

¹ *Modus.*] Hic locus instrumento tam vicinus est, ut prope sit idem. de quo item fufe *Erasm. in Eccles.* Idem.

² *In rebus autem.*] Hastenus Fabius egit de locis illis qui *rhetorici* appellantur, magisque ad *hypothesein* referuntur: nunc de illis qui *dialectici* vocantur, magisque ad *thesin* referuntur. quanquam (ut antea diximus) utriusque loci & *hypothesei* & *thesi* subservire possunt. Idem.

³ *Sed quia sunt.*] Aggressurus locos *topicos*, objectioni statim occurrit. nam cum sint *tres quaestiones*, locos suppeditare debuit uniuscujusque proprios, atque ita dividere in quaestiones locos *topicos*: quod tamen fieri non potuit, quia quanquam quidam proprii sunt alicujus quaestionis, multi tamen sunt omnium communes. Idem.

⁴ *Ex finitione.*] Quoniam autem ne-

mo quaerit naturam eorum quae non sunt, ideo primum locum tenet *ὀρθῶς*: quem quidam *finem* aut *finitionem*, alii *definitionem* appellare maluerunt. Idem.

⁵ *Aut enim.*] Primum quaerimus in definitione de rota rei essentia, postea nonnunquam quaerimus an alicui singulari illa speciei & formae definitio competat. Potest autem hoc loco etiam optime legi, *Aut enim simpliciter quaeritur quid sit virtus, aut antecedente finitione, sitne hoc virtus*. Idem.

⁶ *Id aut universum.*] In codice Veneto scribitur, *ita aut universam vim verbis complectimur*: ut haec efficiant superiorum interpretationem, alio quam dicimus sensu. Idem.

⁷ *Ut rhetorice est, &c.*] Duplex est *Cic. definitio*. nam altera explicat notionem & proprietatem rei: altera forma-

per partes, ut, *Rhetorice est recte inveniendi, & disponendi, & eloquendi cum firma memoria, & cum dignitate actionis, scientia.* Præterea finimus aut vi, sicut superiora. ¹ aut *ἔτυμολογία*, ut ² *asiduum ab ære dando, & locupletem à locorum, pecuniosum à pecorum copia.* ³ Finitioni subjecta maxime videntur *genus, species, differens, proprium.* Ex his omnibus argumenta ducuntur. ⁴ *Genus ad probandam speciem minimum valet, plurimum ad refellendam.* Itaque *non quia est arbor, platanus est: at quod non est arbor, utique platanus non est. Nec quod non est virtus, utique non potest esse justitia.* ⁵ Itaque à genere perveniendum est ad ultimam speciem: ut *homo est animal, non est satis: id enim genus est: mortale, etiam si est species, cum aliis tamen communis finitio: rationale, nihil supererit ad demonstrandum quod velis.* ⁶ Contra species firmam probationem habet generis, infirmam refutationem. Nam *quod justitia est, utique virtus est: quod non est justitia, potest esse virtus, si est fortitudo, constantia, continentia.* ⁷ Nunquam itaque tolletur à specie genus, nisi ut omnes species

rum aut partium enumeratione rem complectitur. Vide Cic. in Partitionibus, & 2. de Orat. Idem.

1 *Aus ἔτυμολογία.*] Solemus nonnunquam definire à vi seu interpretatione nominis seu vocabuli, quam appellant *etymologiam.* id est, *veriloquium,* Cic. *notationem:* propterea quod nominis interpretatio rei veritatem solet indicare. Vide Ciceronem in Top. & 2. de Orat. & Erasimum in Ecclesiaste. Idem.

2 *Asiduum.*] Vide Cic. in Top. & Gellium lib. 15. Fabium 7. cap. 4. Cic. item 2. de Rep. *Pecuniosos* à pecore, & *locupletes* à locorum possessione appellatos dicit. Idem.

3 *Finitioni subjecta.*] Hæc idcirco definitioni subjecta videntur, propterea quod ad rem definiendam conducunt, & nonnunquam in eandem definitionem omnia concurrunt. Vide Cic. in Top. 2. de Orat. Fab. lib. 7. cap. 4. Idem.

4 *Genus ad probandam speciem.*] *Affirmative* non possumus argumentari à genere ad speciem, sed *negative*, nisi omnes species subjiciamus, aut genus universaliter capiamus. Idem.

5 *Itaque à genere.*] *Definitionis est canon* ex Cic. desumptus. sic enim ille præcipit, ut cum sumperimus ea quæ sunt rei quam definire velimus, communia tantisper persequamur, dum ad id quod proprium est perveniamus. Vide Cic. in Top. Idem. *Itaque à genere perveniendum, &c.*] Argumentum à genere ad speciem valet *negative*, *affirmative* non item. *Pith.*

6 *Contra species.*] Quia *genus* in species sine ullius prætermissione dividitur, & *specierum differentia* ad caput generis quasi fontem referuntur. *Turn.*

7 *Nunquam itaque tolletur.*] Id quod Cic. in Top. ait, *Forma enim à genere, quoad suum nomen retinet, nunquam se jungetur.* Idem.

I Quod

species quæ sunt generi subjectæ, removeantur: hoc modo, ¹ *Quod neque immortale est, neque mortale, animal non est.* His adjiciunt *propria*, & *differentia*. Propriis confirmatur finitio, differentibus solvitur: ² *Proprium* autem est aut quod soli accidit, ut *homini sermo, risus*: aut quod utique accidit, sed non soli, ut *igni calefacere*. Et sunt ejusdem rei plura propria, ut ipsius ignis *lucere, calere*. ³ Itaque quodcunque proprium deerit, solvet finitionem: non utique quodcunque erit, confirmabit. ⁴ Sæpissime autem quid sit proprium cujusque, quæritur: ut si per *ἔτυμολογίαν* dicatur, *Tyrannicida proprium est tyrannum occidere*, negemus. non enim si traditum sibi eum carnifex occiderit, tyrannicida vocetur: nec si imprudens, vel invitus. ⁵ Quod autem proprium non erit, differens erit, ut *aliud est servum esse, aliud servire*: ⁶ qualis esse in addictis quæstio solet, *Qui servus est, si manumittatur, sit libertinus, non idem addictus*: & plura, de quibus alio loco. Illud quoque *differens* vocant, quum genere in species diducto, species ipsa discernitur. *Animal*, genus: *mortale*, species: *terrenum vel bipes*, differens. Nondum enim proprium est, sed jam differt à marino vel quadrupede. Quod non tam ad argumentum pertinet, quam ⁷ ad diligentem

¹ *Quod neque immortale.*] Dicitur est hoc ex opinione Platonis, qui deos quosdam animalia esse immortalia dicebat, ut Lunam, Solam, & reliquos planetas. Idem.

² *Proprium autem.*] Dialectici quadruplex agnoscunt proprium; Fabius duntaxat duplex, quod convenit soli, & quod omni, sed non soli. Vid. Eras. in Ecc. Idem.

³ *Itaque quodcunque proprium.*] Si definitionem alicujus rei feceris, cui aliqua rei ipsius proprietas repugnet, definitio infirmabitur: nec tamen bona erit protinus definitio, quæ proprietates quasdam habebit. nam quædam propria non conveniunt soli. Potest etiam intelligi primum membrum hoc modo, ut dicatur mala definitio, quæ non perfecta sit ea quæ sunt communia ad ipsam

usque proprietatem. Idem.

⁴ *Sæpissime autem.*] De hoc vide l. 7. cap. 4 Idem.

⁵ *Quod autem proprium.*] Differens duobus modis à Fabio accipitur, pro eo quod proprium non est, sed dissidet ac discrepat: tum pro eo quod genus dividit & speciem constituit, quo sane modo usurpatur à dialecticis. Idem.

⁶ *Qualis esse in addictis.*] Ut cum quæritur an addictus, quem lex servire donec solverit jubet, servus sit. Idem.

⁷ *Ad diligentem finitionis comprehensionem.*] Superius differens maxime valet ad argumentandum, quoniam infirmat definitionem: posterius non ad argumentandum, sed ad definiendum. nam dialectici definitionem constituunt ex genere & differentia. Idem.

tem finitionis comprehensionem. ¹ Cicero *genus & speciem*, quam eandem *formam* vocat à finitione diducit, & iis quæ ad aliquid sunt subjicit: *ut si is cui argentum omne legatum est, petat signatum quoque, utatur genere: at si quis cum legatum sit ei quæ viro materfamilias esset, neget debere ei quæ in manum non convenerit specie: quoniam* ² *duæ formæ sint matrimoniorum.* ³ Divisione autem adjuvari finitionem docet, eamque differre à partitione: quod hæc sit totius in partes, illa generis in formas. ⁴ Partes incertas esse, *ut quibus constet respublica: formas certas, ut quot sint species rerumpublicarum,* ⁵ *quas tres accipimus, quæ populi, quæ paucorum, quæ unius potestate regerentur.* ⁶ Et ille quidem non his exemplis utitur, quia scribens ad Trebatium, ex jure ea ducere maluit: ego apertiora posui. ⁷ *Propria* vero ad conjecturæ quoque pertinent partem: *ut quia proprium est boni, recte facere: iracundi verbis excandescant.* At contra quædam in quibusdam utique non sunt, & ratio quamvis ⁸ ex diverso, eadem est.

¹ *Cicero genus & speciem.*] Vide Cic. in Top. ex quo hæc desumpta sunt. Idem.

² *Duæ formæ.*] Duæ sunt species nuptiarum: aut enim fiunt per coemptionem, quando mulier in viri manum convenit, ejusque potestatem. erant autem hæ nuptiæ legitimæ, ac illa quæ ita conveniunt in manum, dicebatur materfamilias. erant aliæ quoque nuptiæ quæ citra coemptionem fiebant, quibus uxores habebantur solo usu, ut concubinae. De his latius Boëtius in Top. Cic. Idem.

³ *Divisione autem.*] Quædam sunt etiam definitiones divisionum & partitionum, ut docet Cicet. in Top. quæ fiunt vel enumeratione formarum, vel enumeratione partium. Differunt autem partes à formis, quod illæ sunt tanquam quædam membra, neque nomen totius usurpant, hæ autem notiones sunt quædam generis subjectæ, quæ generis nomen sibi vendicant. Latius hæc apud Cic. in Topic. & Erasmi. in Eccles. & Fab. lib. 7. cap. 5. Idem.

⁴ *Partes incertas.*] Certus est semper formarum numerus: itaque aliquam in divisione omittere, peccatum sit: sapienter vero solet infinitior esse partium numerus, ut si quam omittas, non magnopere erres. Idem.

⁵ *Quas tres accipimus.*] *Democratia* dicitur reipub. species, cum potestas est omnis penes populum, ut olim Athenis: *Oligarchia*, cum paucorum dominatu resp. gubernatur: *Monarchia*, cum unus imperat. Addunt alii *Aristocratiam*, cum optimates imperant, sed referri potest ad *Oligarchiam*. Idem.

⁶ *Et ille quidem non his.*] Ad Trebatium enim libro, huic uni rei destinato, copiosius omnia executus est. Idem.

⁷ *Propria.*] Non solum proprio utimur ad finitionis confirmationem, ut antea docuit Fabius, verum etiam ad conjecturæ probationem: *ut si de alicujus probitate dubites, eam colligere possis ex bonitatis proprietate.* Idem.

⁸ *Ex diverso.*] Ut, *clementis est hominis & misericordis, injuriam non facere: quod*

est. *Diviso* & ad probandum simili via valet, & ad refellendum. ¹ Probanti interim satis est unum habere, hoc modo, *Ut sit civis, aut natus sit oportet, aut factus.* Neganti, utrunque tollendum est, *nec natus nec factus est.* Fit hoc & multiplex, idque est argumentorum genus ² ex remotione, quo modo efficitur totum falsum: modo id quod relinquitur, verum. Totum falsum est hoc modo, *Pecuniam te credidisse dicis: aut habuisti ipse, aut ab aliquo accepisti, aut invenisti, aut surripuisti. Si neque domi habuisti, neque ab aliquo accepisti* ³ & cætera, *non credidisti.* Reliquum fit verum sic, *Hic servus, quem tibi vendicas aut verna tuus est, aut emptus, aut donatus, aut testamento relictus, aut ex hoste captus, aut alienus.* deinde remotis prioribus supererit alienus. Periculosum, & cum cura intuendum genus: quia si in proponendo unum quodlibet omiserimus, cum risu quoque tota res solvitur. Tutius quod ⁴ Cicero pro Cecinna facit, cum interrogat, *Si hæc actio non sit, quæ sit?* Simul enim removentur omnia. Vel cum duo ponentur inter se contraria, quorum tenuisse utrumlibet sufficiat: quale Ciceronis est, *Unum quidem certe, nemo erit tam iniquus Cluentio, qui mihi non concedat, si constet corruptum illud esse iudicium, aut ab Habito, aut ab Oppianico esse corruptum. si doceo non ab Habito, vinco ab Oppianico: si ostendo ab Oppianico, purgo Habitem.* ⁵ Fit etiam ex duobus, quorum necessaria est alterutrum eligendi adversario potestas,

quod si facias injuriam, colligam te misericordem non esse. *Idem.*

¹ *Probanti interim.*] Contrario modo argumentamur à *partitione.* nam si *probare* volumus, partes omnes sunt constituendæ: *sin* autem *negamus*, una duntaxat est tollenda. *Idem.*

² *Ex remotione.*] Hoc argumentandi genus à Cic. in *Top.* vocatur à *partium enumeratione*, à Cornificio vero *expeditio.* Ideo autem *ex remotione* dicitur, quia ea quæ proposuimus, negando remove postea solemus. *Idem.*

³ *Et cætera.*] Alii, *nec certam.*

⁴ *Cic. pro Cecinna.*] Hæc Cic. *argumentatio* quanquam expressam non habet partium enumerationem, potestate tamen eam complectitur, & ex remotione argumentatur, cum interea periculum enumerationis evitarit. Sic autem pro Cecinna Pisonem Ebutii advocatum Cic. interrogat, *Age, nunc, si tuorum quidem quisquam loco motus sit. & cætera quæ sequuntur. Tuynb.*

⁵ *Fit etiam ex duobus.*] Argumentamur etiam *ex remotione* per complexionem & *dilemma*, cum duo contraria proponimus, ac eadem adversario, utrunvis concesserit, contraria efficitur. *Idem.*

A a 4

I Aut.]

stas, efficiturque ut utram elegerit, noceat. Facit hoc Cicero pro Oppio, *Utrum cum Cottam appetisset, aut cum ipse sese conaretur occidere, telum ei è manibus ereptum est?* Et pro Vareno, *Optio vobis datur, utrum velit casu illo itinere Varenam usum esse an hujus persuasus & inductu.* Deinde utraque facit accusatori contraria. ³ Interim duo ita proponuntur, ut utrumlibet electum, idem efficiat, quale est, *Philosophandum est, etiam si non est philosophandum.* Et illud vulgatum, ⁴ *Quo schema, si intelligitur? quo, si non intelligitur?* Et, *Mentietur in tormentis, qui dolorem pati potest: mentietur, qui non potest.* ⁵ Ut sunt autem tria tempora, ita ordo rerum tribus momentis confertus est. habent enim omnia *ininitium, incrementum, summam: ut jurgium, deinde cades.* Est ergo hic quoque argumentorum locus invicem probantium. ⁶ Nam & ex initiis summa colligitur: quale est, ⁷ *Non possum togam prætextam sperare, cum exordium pullum videam: & contra,*

Non

1 *Aut.]* Alii, an.

2 *Telum ei è manibus ereptum est.]* MS. Codex, *erutum est.* Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 1. cap. 4. pag. 11.

3 *Interim duo.]* Padianus in *Divinat.* Cic. Gell. lib. 4. cap. 15. hujusmodi dicta appellat *oxymora & affectata.* Cæterum hæc sententia significat, operam esse philosophiæ impendendam, non tamen in ea consensendum. Neoptolemi sententia è tragœdia quapiam. Sunt qui ita hæc intelligi velint, *Nemo non philosophandum non esse probaverit, nisi rationibus ex philosophia ductis:* qui ergo id probaverit, philosophandum ei fuerit: qui probare non potuerit, non fuerit audiendus: ergo philosophandum est. *Studendum est eloquentiæ, etiamsi non est studendum eloquentiæ:* quia id nemo convicerit, nisi viribus eloquentiæ. Turneb.

4 *Quo schema, &c.]* Quo schema, si oratio intelligatur sine eo, q. d. frustra: sed adhuc magis si non intelligatur per ipsum. hæc enim etsi verbis contraria videntur, sensu tamen minime. sed de his fufius lib. 9. Idem.

5 *Ut sunt autem tria.]* Fabius *ininitium, incrementum, & summam* divisioni subicit, propterea quod unumquodque negotium in *principium, progressum, & consummationem* dividi potest. hic tamen locus Erasmo videtur referendus ad *temporis rationem*, de quo jam dictum est: & *eventus*, de quo mox dicitur. ipsum lege in suo Ecclesiaste. Idem.

6 *Nam ex initiis.]* Si Fabii interpretationem sequamur, hic locus *divisioni* non subjecitur, sed à *divisione* erit alius. hoc autem exemplum est allegoricum. significat enim sperari magistratum non posse, cum tam sit infelix & infaustum petitionis exordium. nam *prætexta* vestis est magistratum, quæ purpureo limbo prætextitur. metaphora ducta est à textentibus. Idem.

7 *Non possum togam prætextam sperare.]* Vide Joh. Brodæi Miscellan. lib. 6. cap. 12. p. 557. & Cl. Salmassii notas ad Tertullian. lib. de Pallio. p. 63. 213. 365. 372.

8 *Exordium pullum.]* Erasmus legit, *exordium nullum.* Turneb. *Exordium.]*

Nos

¹ Non dominationis causa Syllam arma sumpsisse, argumentum est dictatura deposita. Similiter & ex incremento in utranque partem ducitur ratio, cum in conjectura tum etiam in tractatu æquitatis, ² an ad initium summa referenda sit: id est an ei cedes imputanda sit à quo jurgium cæpit. ³ Est argumentorum locus ex similibus, Si continentia virtus, utique & abstinentia. ⁴ Si fidem debet tutor, & procurator. Hoc est ex eo genere, quod ἐπιταγή Græci vocant, ⁵ Cicero inductionem. ⁶ Ex dissimilibus, Non si latitia bonum, & voluptas. ⁷ Non quod mulieri, idem pupillo. ⁸ Ex contrariis, Frugalitas bonum, luxuria enim malum. Si malorum causa bellum est, erit emendatio pax. Si veniam meretur qui imprudens nocuit, non meretur præmium qui imprudens profuit. ⁹ Ex pugnantibus, Qui est sapiens, stultus non est.

Ex

Nos exomium non exordium legimus. Græci ἐξομίδα vocant. Est autem substricta ac brevis tunica, citra humerum definens. Brodæus lib. 6. cap. 12.

¹ Non dominationis causa.] Historia nota ex Plutarch. in Syllæ vita. Turn.

² An ad initium.] Cedes progressus est quidam medius inter jurgium & stragem. hoc igitur argumentum est ab incremento ad initium. Sic Erasmus. Idem.

³ Est argumentorum locus.] Similia sunt, quæ in eadem qualitate inter se conferuntur. differunt à comparatione. est enim comparatio in quantitate, similitudo in qualitate. De hoc vide Cic. in Top. & 2. de Oratore. Idem.

⁴ Si fidem debet.] Debet ille fidem, qui satisdare debet datis fidejussoribus, ne se male gerat in tuis negotiis. est autem hoc exemplum ex Cic. ductum, in Top. Idem.

⁵ Cic. inductionem.] Inductio à Cic. in Top. similitudini subjicitur. nam multorum similibus collectione eo pervenit quo vult. Idem.

⁶ Ex dissimilibus.] Hæc à differentia in Top. vocat Cic. in 2. de Oratore à dissimilitudine. Idem.

⁷ Non quod mulieri.] Hoc exemplum sumptum est ex Cic. in Top. cujus est sen-

sus, non si mulieri argentum solvere possis sine tutoris auctoritate, idem facere possis pupillo. Porro olim mulieres erant in perpetua tutela: quæ ratio est hujus exempli. Idem.

⁸ Ex contrariis.] Contraria dicuntur, quæ sub eodem genere posita multum à seipsis distant. quanquam Fabius hoc loco contraria accepisse viderur pro his quæ vulgo opposita vocantur. Vide Cic. in Topicis. Idem.

⁹ Ex repugnantibus.] Consequentia, repugnantia, & antecedentia apud Cic. argumentationes sunt hypotheticæ, apud Fab. loci sunt argumentorum, qui significant rei quandam connexionem & adjunctionem. Itaque consequentia Fabii, sunt adjuncta Ciceronis. Itaque Fabius multis hic non placet, quod, ut ajunt, consequentia & adjuncta tam confuse tradat, potissimum quod ea jungat quæ natura sunt diversa. siquidem alius est locus ab adjunctis, alius à consequentibus. Adjuncta enim à Cic. dicuntur, quæ negotium antecedunt, ut apparatus, aut in ipso sunt negotio, aut post negotium: quem locum oratorum proprium esse dicit, & sæpenumero tractari in causa conjecturali. Verum locus ex consequentibus longe alius ab adjunctis. nam sicut alter rhetoricus est, ita totus iste dialecti-

Ex consequentibus, sive adjunctis, *Si est bonum justitia, recte judicandum. Si malum perfidia, non est fallendum.* Idem retro. Nec sunt his dissimilia, ideoque huic loco subjicienda, cum & ipsa naturaliter congruant: *Quod quis non habuit, non perdidit. Quem quis amat sciens, non lædit. Quem quis heredem suum esse voluit, charum habuit, habet, habebit.* ¹ Sed cum sint indubitata, vim habent pene signorum immutabilium. Sed hæc consequentia dico ἀκολουθεῖα. est enim consequens sapientiæ bonitas. illa sequentia ἐπισημειωμένα, quæ postea facta sunt, aut futura. ² Nec sum de nominibus anxius. vocet enim ut voluerit quisque, dum vis rerum ipsa manifesta sit: appareatque, hoc temporis, illud esse naturæ. Itaque non dubito hæc quoque consequentia, quamvis ex prioribus dent argumentum ad ea quæ sequuntur. Quorum quidam duas species esse voluerunt: *actionis*, ut pro Oppio, *Quos educere invitos in provinciam non potuit, eos invitos retinere qui potuit?* *Temporis*, in Verrem, ³ *si finem Prætoris edicto asserunt Calendæ Januarii, cur non initium quoque edicti nascatur à Calendis Januarii?* Quod utrunque exemplum tale est, ut idem in diversum, si retroagas, valeat. Consequens enim est, *eos qui inviti duci non potuerint, invitos non potuisse retineri.* ⁴ Illa quoque quæ ex rebus mutuam confirmationem præstantibus ducuntur, quæ

est. Item hoc differunt inter se, quod ab adjunctis spectatur in tempore, à consequentibus in natura. item quod Cic. locum ab antecedentibus, consequentibus & repugnantibus eandem esse dicit, & in conditione consistere. Idem.

¹ Sed cum sint.] Consequentia & adjuncta magna ex parte adjunctionis necessitatem non habent: quæ tamen necessitatem habent, illa non minus sunt indubitabilia, quam signa necessaria. Idem.

² Nec sum de.] Videtur Fab. velle se excusare quod locos hos confuderit, hoc prætextu, quod non est sollicitus admodum de nominibus, modo res ipsa percipi possit. Confundendo nomina, con-

fundit & res ipsas. quanquam enim prior debet esse rerum cura, verborum tamen non est negligenda diligentia, per quæ res intelliguntur. Idem.

³ Si finem Prætoris edicto, &c.] Olim Prætoris edictum annua duntaxat lex erat. cum igitur magistratum inirent Calendis Januariis, inde quoque vis edicti nascebatur. Idem.

⁴ Illa quoque quæ.] Quæ Cic. in lib. de Inventionem appellat ex rebus sub eadem rationem venientibus, videntur esse relativa, quæ inter se mutuum habent respectum, ut alterum absque altero esse non possit. & subjici posse loco ab oppositis sive contrariis rectius videntur. Idem.

quæ proprii generis videri quidam volunt, & vocant *ἐκ τῆς αἰτίας ἀλλήλων*, Cicero ex rebus sub eandem rationem venientibus, fortiter consequentibus junxerim: *Si portorium Rhodiis locare honestum est, & Hermacreonti conducere. & Quod discere honestum, & docere.* Unde illa, non hac ratione dicta, sed efficiens idem Domitii Afri sententia est pulchra, *Ego accusavi, vos damnastis.* Est invicem consequens & quod ex diversis idem ostendit: *ut qui mundum nasci dicit, per hoc ipsum & deficere significet, quia deficit omne quod nascitur.*³ Simillima est his argumentatio, qua colligi solent ex iis quæ faciunt, ea quæ efficiuntur, aut contra: quod genus à *causis* vocant. Hæc interim necessario fiunt, interim plerunque sed non necessario. Nam corpus in lumine utique umbram facit, & umbra ubicunque est, ibi esse corpus ostendit.⁴ Alia sunt, ut dixi, *non necessaria*, vel utrinque, vel ex altera parte. *Sol colorat: non utique qui est coloratus, à sole est. Iter pulverulentum facit: sed nec omne iter pulverem movet: nec quisquis est pulverulentus, ex itinere est.* Quæ utique fiunt, talia sunt. *Si sapientia bonum virum facit, bonus vir est utique sapiens.* Ideoque boni est honeste facere: mali, turpiter: & qui honeste faciunt, boni: qui turpiter, mali recte judicantur. Ad hoc, *exercitatio plerunque robustum corpus facit: sed non quisquis est robustus, exercitatus: nec quisquis exercitatus,*

¹ *Ego accusavi.*] Eadem dixisset ratione, si ita extulisset, *Si vobis honestum fuit damnare, & mihi accusare.* nunc aliter extulit, sed idem effecit. Videtur autem hæc sententia Domitii desumpta ex 13. Ovidii *Metamorph.* ubi Ulysses in hunc modum argumentatur per locum à relative oppositis, *An Palamedem crimine falso Accusasse mihi turpe est, vobis damnassee decorum?* Idem.

² *Quia deficit, &c.*] Secundum Physicos, *quicquid natum est, interibit, & quicquid interibit natum est.* Hæc igitur invicem se consequuntur: & hæc ratione Platonem oppugnat Arist. qui dixit *mundum esse quidem natum, nunquam ta-*

men interiturum. Idem.

³ *Simillima est his.*] Ex quatuor causis duæ magis tractantur à rhetoribus & dialecticis, *finalis & efficiens.* nam reliquæ magis sunt *physici*, & alioqui magis sunt cum causa quam causæ, ut adeo sub duas priores reduci possint. De his vide Cic. in *Top.* & Rodolph. *lib. 1.* Idem.

⁴ *Alia sunt, ut dixi.*] *Causas* appellat *necessarias* Fab. in quibus necessaria est argumentatio, ut ab effectu ad causam, & à causa ad effectum: reliquas vero non *necessarias*, quanquam alii *necessarias* appellant causas, quæ effectum necessarium gignunt, quanquam non sit recursus. Idem.

citatus, robustus est. Nec quia fortitudo præstat ne mortem timeamus, quisquis mortem non timuerit, vir fortis erit existimandus. *Nec si capitis dolorem facit, inutilis hominibus Sol est.* ¹ Et hæc ad hortativum maxime genus pertinent. *Virtus facit laudem, sequenda igitur: at voluptas infamiam, sugienda igitur.* ² Recte autem monemur, causas non utique ab ultimo esse repetendas: ³ ut Medea, ⁴ *Utinam ne in nemore Pelio.* Quasi vero id eam fecerit miseram aut nocentem, quod illic ceciderit Abiegna ad terram trabes. Et Philocteta Paridi, ⁵ *Si imperasses tibi, ego nunc non essem miser.* Quo modo pervenire quo libet, retro causas legentibus licet. ⁶ His illud adjicere ridiculum putarem, nisi eo Cicero uteretur, quod conjugatum vocant: ut, ⁷ *Eos qui rem justam faciant, juste facere.* quod certe non eget probatione. ⁸ *Quod compascuum est, compascere licere.* ⁹ Quidam hæc quæ vel

¹ *Et hæc ad hortativum.]* Nam cum duo sint loci generis deliberativi, *an fieri possit, an expediat*, primum colligimus ab efficientibus, postremum à finalibus causis. Ioci igitur causarum maxime ad genus deliberativum spectant. Idem.

² *Recte autem monemur.]* Causa hæc est materialis, quæ tamen (ut dixit) sub efficientibus comprehenditur. non est autem causa ab ultimo repetenda; nam Cic. quoque remotum argumentandi genus vitiosum putat. Vide Cic. in *Top.* Idem.

³ *Ut Medea.]* Forte melius, ut in *Medea*. nam hæc verba in tragoedia Ennii & Euripidis non sunt *Medea*, sed nutricis ejus. Idem.

⁴ *Utinam ne in nemore Pelio.]* Apud Eurip. initio *Medea*. v. 3. Μὴ δ' ἐν νεώποισι Πηλῆς. &c. Pith.

⁵ *Si imperasses.]* Sic emendat Raphael contra veterem lectionem, quæ est, *Si par esses tibi, ego nunc non essem miser*, id est, tibi si moderari potuisses. Turneb.

⁶ *His illud.]* Locum à conjugatis, quem interdum Cic. vocat à conjunctis, parum probare videtur Fab. Cicero tamen non semel hoc loco usus est etiam

in causis gravissimis, proinde non est negligendus. Aristotel. tamen & Themistius separant locum à conjugatis, à loco, à casibus, ut conjugata sint quæ eodem fonte manant, qualia sunt, *sapio, sapiens, sapientia*. A casibus vero putant duci à verbo aut nomine ad adverbium. Cicero tamen à conjugatis non separat, & conjugatorum nomine complectitur. *Conjugata* Cicero in *Top.* συζυγίαν vocari ait Arist. I. *Top.* συζυγία. Fabius autem ideo conjugata subjicit causis, quia conjugatum conjugata est causa, ut *justitia hominem efficit justum*. alii tamen à causa separant. Idem.

⁷ *Eos qui rem justam faciant, &c.]* Deuteron. 16. 20. *Quod justum est, juste persequaris.* Arist. Pol. *Impossibile esse ait juste agere non justa agentibus.* Pith.

⁸ *Quod compascuum est.]* Compascuum ager dicitur publicus, in quo pascere licet omnibus. Erat & ager scriptuarius, in quo pascere licebat pecora omnibus, constituta tamen certa pecunia. Turneb.

⁹ *Quidam hæc.]* Tamen hæc appellatio potius significat id quod efficitur & exit ex causis, id est, *eventa*: quæ Fabius quoque causis subjicit. Idem.

I Apposita

vel ex caussis vel ex efficientibus diximus, alieno nomine vocant *enclitica*, id est *exitus*. Nam, nec hic aliud tractatur, quam quid ex quoque eveniat. ¹ *Apposita* vel *comparativa* dicuntur, quæ minora ex majoribus, majora ex minoribus, paria ex paribus confirmantur. Conjectura ex majore, ² *Si quis sacrilegium facit, faciet & furtum*. Ex minore, ³ *Qui facile ac palam mentitur, pejerabit*. ⁴ Ex pari, *Qui ob rem judicandam pecuniam accepit, & ob dicendum falsum testimonium accipiet*. Juris confirmatio est ejusmodi, Ex majore, *Si adulterum occidere licet, & loris cadere*. Ex minore, ⁵ *Si furem nocturnum occidere licet, quid latronem?* Ex pari, *Quæ pœna adversus interfectorem patris justa est, eadem adversus matris*. ⁶ Quorum omnium tractatus versatur in syllogismis. Illa magis finitionibus aut qualitatibus profunt, *Si robur corporibus bonum non est, minus sanitas. Si furtum scelus, magis sacrilegium. Si abstinentia virtus, & continentia. Si mundus providentia regitur, administranda est respublica. Si domus edificari sine ratione non potest, quid agendum in navalium*

cuya,

¹ *Apposita vel.*] Ultimam locum ab effectibus Cic. vocat *comparationem*, qui locus à comparatione maxime est oratorius, valetque ad probandum, exornandum & amplificandum. differt à *similitudine*, quia in *comparatione* duo in aliquo tertio conferuntur, in *similitudine* utrumque in singulis comparatur. *Apposita* vocat *comparata*, quia quæ comparantur, juxta se collocantur & apponuntur. alii legunt *appositiva*. De his vide Cic. in *Top.* & 2. de *Orat.* Idem.

² *Si quis sacrilegium.*] Cum argumentamur à *majori* ad *minus*, valet argumentatio affirmative, non etiam negative. Idem.

³ *Qui facile.*] Cum argumentamur ex *minore*, valet argumentatio negative, non etiam affirmative: alioqui argumentum fiet duntaxat verisimile, & longe infirmius. Idem.

⁴ *Ex pari.*] Argumentum à *pari* valet affirmative & negative. Idem.

⁵ *Si furem nocturnum.*] Ulpianus ad legem *Aquilianam* ait permissum fuisse lege 12. *tabul.* ut fur *diurnus* impune interficeretur si se defenderet: *nocturnus* etiam si se non defenderet, dum tamen proclamaret interfectorem. Idem.

⁶ *Quorum omnium.*] Cum syllogismus oriatur ex ea re quæ scripto cautata non est, cum scripto tamen habet similitudinem, nullo certiore potest confirmari argumento quam per *comparationem*. Idem.

⁷ *Si abstinentia.*] Hoc exemplum antea posuit in *similitudine*, ut videatur confundere *similitudinem* quadantenus cum *comparatione*. videtur autem magis esse exemplum *comparationis*. Idem.

⁸ *Si mundus.*] Hoc exemplum pertinere videtur ad *proportionem* & *analogiam*, quæ merito quoque subjicitur *comparationi*. ut enim *deus est in mundo regendo, sic magistratus in regenda Republica*. Idem.

cura, & armorum? ¹ Ac mihi quidem sufficeret hoc genus, sed in species secatur. Nam & ex pluribus ad unum, & ex uno ad plura (² unde est, *Quod semel, & sapius*) & ex parte ad totum, & ex genere ad speciem, & ex eo quod continet, ad id quod continetur, & ex difficilioribus ad faciliora, & ex longe positis ad propiora, & ad omnia quæ contra sunt: eadem ratione argumenta ducuntur. Sunt enim & hæc majora & minora, aut certe vim similem obtinent: quæ si persequamur, nullus erit ea concidendi modus. Infinita est enim rerum comparatio, *jucundiora, graviora, magis necessaria, honestiora, utiliora.* Sed mittamus plura, ne in eam ipsam quam vito loquacitatem incidam. Exemplorum quoque ad hæc infinitus est numerus, sed paucissima attingam. Ex majore, pro Cecinna, ³ *Quod exercitus armatos movet, id advocationem togatorum non videbitur movisse?* Ex faciliore, ⁴ in Clodium & Curionem, *Ac vide an facile fieri tu potueris, cum is factus non sit, cui tu concessisti.* Ex difficiliore, ⁵ *Vide quaeso, Tubero, ut qui de meo facto non dubitem, de Ligarii audeam confiteri.* Et ibi, *An sperandi Ligario causa non sit, cum mihi apud te locus sit etiam pro altero deprecandi?* Ex minore, pro Cecinna, *Itane vero scire esse armatos sat est ut vim factam probes, in manus eorum incidere non est satis?* ⁶ Ergo ut breviter contraham summam, ducun-

¹ *Ac mihi quidem.*] Tres illas species comparationis Cic. in 4. formas dividit, in numerum, speciem, vim, & affectionem ad res aliquas. Arist. quoque lib. 3. Top. locos omnes comparationis fusissime tractat, quem magna ex parte sequutus est in Top. Cic. Idem.

² *Unde est, Quod semel.*] Hæc particula videtur esse proverbialis: ac certe latissimam potest habere significationem, ut dicamus, verbi causa, *minus graviter esse peccandum qui semel deliquerit, quam qui sæpius:* aut ut rara bona vulgaribus præstantiora dicamus, ac sic in reliquis. Idem.

³ *Quod exercitus, &c.*] *Advocationem* appellat cœtum advocatorum, id

est, amicorum qui cum Cecinna venerant in rem præsentem, qui ab adversario de fundo metu fuerunt dejecti: unde argumentatur Cic. in oratione pro Cecinna. Idem.

⁴ *In Clodium & Curionem.*] Exemplum est ex oratione edita in competitores Clodium & Curionem, quæ fortassis est Cic. Citatur autem à Fabio in cap. de genere demonstrativo. Idem.

⁵ *Vide quaeso.*] Difficilius enim erat Ciceroni se Pompejanum fateri, quam hoc ipsum de Ligario concedere. Idem.

⁶ *Ergo.*] Epilogus prædictorum locorum, à quibus argumenta fere duci solent. Idem.

ducuntur argumenta à personis, causis, locis, tempore (cujus tres partes diximus, conjunctum, præcedens, insequens) facultatibus (quibus instrumentum subjecimus) modo (id est ut quicque sit factum) finitione, genere, specie, differentiibus, propriis, remotione, divisione, initio, incrementis, summa, similibus, dissimilibus, pugnantibus, consequentibus, efficientibus, ¹ effectis, eventis, jugatis, comparatione, quæ in plureis diducitur species. ² Illud adjiciendum videtur, duci argumenta non à confessis tantum, sed etiam à fictione, quod Græci *ἡθ' ἰσθ' ἐκ* vocant. Et quidem ex omnibus iisdem locis quibus superiora, quia totidem species esse possunt fictæ, quot veræ. Nam fingere hoc loco est proponere aliquid, quod si verum sit aut solvat quæstionem, aut adjuvet: deinde id de quo quæritur, facere illi simile. Id quo facilius accipiant juvenes nondum scholam egressi, primo familiaribus magisque usitatis exemplis ostendam. Lex est, ³ *Qui parentes non aluerit vinciat. Non alit quis, & vincula nihilo minus recusat.* Utitur fictione, ⁴ *Si miles, si infans sit, si reipublicæ causa absit.* Et illa contra ⁵ optionem fortium, *si tyrannidem petat, si templorum everSIONEM.* ⁶ Plurimumque ea res virium habet contra scriptum. Utitur his Cicero pro Cecinna, ⁷ *Unde tu, aut familia, aut*

¹ *Effectis.*] *Effecta* proprie dicuntur causarum efficientium, *eventa* reliquorum: quanquam *eventa* quoque quicquid ex causis evenit significant. *Idem.*
² *Illud adjiciendum.*] Non solum argumentamur *asseveranter*, hoc est ex confessis & veris, verum etiam *ex conditione* & proposito, quod *ἡθ' ἰσθ' ἐκ* vocant Græci. tamen Rodolph. lib. 2. c. 8. hæc ait non tam esse *argumenta* quam novas quæstiones. Cic. tamen in Topicis exempla quædam ponit ficta, quæ ad hunc locum reduci debent. Utrunque conferre poteris. Hermogenes quoque ponit *enthymemata* quædam ficta. Argumentamur autem hoc modo, *cum posito* (ut ajunt) *casu aliquid probamus.* *Idem.*

³ *Qui parentes, &c.*] Hæc lex olim

pro-
erat in Græcia, appellabaturque *Pelargica*, id est, Ciconialis, quia erat de parentum alimentis. eam tamen emendavit Solon Athenis, ut filius duntaxat hoc casu parentes alere cogeretur, si ab illis optime esset literis institutus. *Idem.*

⁴ *Si miles.*] His fictionibus adversus scriptum nititur, suntque *enthymemata* quæ dicuntur *elenctica.* *Idem.*

⁵ *Optionem fortium.*] Fortem virum hic appellat *tyrannidam*, cui lex permittebat optare quicquid veller. *Idem.*

⁶ *Plurimumque ea res virium.*] Ubi quæstio est *de lege* aut *scripto*, ambiguitatemque in se habent, nulla re magis refelluntur quam argumento per fictionem. *Idem.*

⁷ *Unde tu.*] Verba sunt edicti pratoris,

procurator tuus. Si me villicus tuus solus dejecisset: ¹ non familia dejecisset, ut opinor, sed aliquis de familia. Si vero ne habeas quidem servum præter eum qui me dejecerit, & alia in eodem libro plurima. Verum eadem fictio valet & ad qualitates, ² Si Catilina cum suo consilio nefariorum hominum, quos secum eduxit, hac de re posset judicare, condemnaret L. Muranum. Et ad amplificationem, ³ si hoc tibi inter cœnam in illis immanibus poculis tuis accidisset. Sic &, ⁴ Si respub. vocem haberet. Has fere sedes accepimus probationum in universum: quas neque generatim tradere sat est, cum ex qualibet earum innumera- bilis argumentorum copia oriatur: neque per singulas species exequi patitur natura rerum: ⁵ quod qui sunt facere conati, duo pariter subierunt incommoda, ut & nimium dicerent nec tamen totum. Unde plurimi cum in hos inexplicabiles laqueos inciderunt, omnem etiam quem ex ingenio suo potuerant habere conatum, velut astricti certis legum vinculis perdiderunt: & magistrum respicientes, naturam ducem sequi desierunt. ⁶ Nam ut per se non sufficit scire omnes probationes aut à personis aut à rebus peti, quia utrunque in plura dividitur: ita ex antecedentibus & junctis & infrequentibus trahenda esse argumenta qui acceperit, protinus in hoc sit instructus, ut quid in quaque causa dicen- dum

ris, quæ hodie quoque habentur in titulo de vi & vi armata. Idem.

1 Non familia dejecisset.] Ulpianus titulo de vi armata, ait, servum unum non efficere familiam, ac ne duos quidem. Idem.

2 Si L. Catilina.] Exemplum ex oratione Cic. pro Muræna. Idem.

3 Si hoc tibi.] Ex Antoniana 2. Idem.

4 Si resp. vocem haberet.] Protopopæiam Fab. huic loco subjicit, ut Cic. quoque in Topicis. ait enim permissum esse hoc loco oratoribus & philosophis, ut muta inducant loquentia: res quoque supra fidem augeatur, quæ dicitur hyperbole. Est autem exemplum ex oratione Cic. pro Milone. Idem.

5 Quod qui sunt facere conati.] Ut in comparatione reprehendebat eos qui comparationis species persequerentur, idem quoque facit adversus eos qui in singulis locis species sectantur. cui vitio sunt obnoxii, qui infinita singulorum locorum congerunt axiomata: ipsi maximas vocant. Arist. quoque in Top. hoc genere plerumque peccat. Idem.

6 Nam ut per se.] Fabii sententia est, non omnia esse petenda ab illis argumentorum sedibus, sed permulta esse ducenda ex ipsius causæ proprietate. non igitur loci satis instruunt oratorem ad probandum, nisi etiam natura & experientia valuerit, ut ipsum thema diligenter excutere possit. Idem.

I Hat

dum sit ex his sciat: præsertim cum plurimæ probationes in ipso caussarum complexu reperiantur, ita ut sint cum alia lite nulla communes, eæque sint & potentissimæ, & minime obviæ, quia communibus ex præceptis propria inveniendæ sunt. ¹ Hoc genus argumentorum sane dicamus *ex circumstantia*, quia *ἄλλοις* dicere aliter non possumus: vel ex iis quæ cujusque causæ propria sunt: ut in illo adultero sacerdote, qui lege qua unius servandi potestatem habebat, se ipse servare voluit, proprium est controversiæ dicere. *Non unum nocentem servabis quia te dimisso adulteram occidere non licebit.* Hoc enim argumentum lex facit, quæ prohibet adulteram sine adultero occidi. Et illa, in qua lex est, ² *ut argentarii dimidium ex eo quod debebant, solverent: ³ creditum suum totum exigent.* Argentarius ab argentario solidum petit. Proprium ex materia est argumentum creditoris, idcirco adjectum esse in lege, *ut argentarius totum exigeret.* Adversus alios enim ⁴ non opus fuisse lege: cum omnes præterquam ab argentariis totum exigendi jus haberent. Cum multa autem novantur in omni genere materiæ, tum præcipue in iis quæstionibus quæ scripto constant, quia vobum est in singulis ambiguitas frequens, adhuc ⁵ in conjunctis magis. Et hæc ipsa plurium legum aliorumve scriptorum vel congruentium vel repugnantium complexu varientur necesse est: cum res rei, aut jus juris quasi signum est:

¹ *Hoc genus arg.]* Argumenta illa quæ ex peculiari thematis natura ducuntur, appellat Fab. *ex circumstantia*, quia rem ipsam de qua quæstio est circumstant. Fabius lib. 3. *ἄλλοις* negotium vertit, non *circumstantiam*. Idem.

² *Ut argentarii.]* Argentarii, qui & *τραπεζίται* dicuntur, sunt, qui per mensam argentum credere solent ad usuram. erant hujuscemodi, quales nunc sunt *majores campsores*, ut minores olim dicebantur *numularii* & *ἄγροδοῦσις*. Idem.

³ *Creditum.]* Debitam sibi pecuniam. *Creditum* autem dicit, ut præceptum, *mandatum*. *Creditum* autem & *creditam*

pecuniam docti: debitum vel debitam pecuniam vulgus dicit. Idem.

⁴ *Non opus fuisse lege.]* Quia unusquisque etiam si *argentarius* non est, *creditum* totum exigere potest. est igitur adjectum in lege, *ut argentarius* totum exigeret non solum ab alio, verum etiam ab argentario. Idem.

⁵ *In conjunctis magis.]* Innuit Fab. in quæstionibus legitimis maxime versari argumenta quæ *ex circumstantia* ducuntur, propter earum causarum innovationem, frequentem *amphibologiam*, & *homonymiam*. Idem.

est: Non debui tibi pecuniam, nunquam me appellasti. Usuram non accepisti, ulro à me mutuatus es. ¹ Lex est, Qui patri proditiōnis reo non affuerit, exheres sit. Negat: nisi si pater absolutus sit. Quid signi? Lex altera. Proditionis damnatus, cum advocato exulet. ² Cicero pro Cluentio Publium Popilium & Tiberium Guttam dicit non iudicii corrupti, sed ambitus esse damnatos. Quid signi? quod accusatores eorum, qui erant ipsi ambitus damnati, ³ e lege sint post hanc victoriam restituti.

⁴ Nec minus in hoc curæ debet adhiberi, quid proponendum, quam quomodo sit quod proposueris probandum. Hic omnino vis inventionis si non major, certe prior. ⁵ Nam ut tela supervacua sunt nescienti quid petat: sic argumenta, nisi prævideris cui rei adhibenda sint. Hoc est quod ⁶ comprehendi arte non possit. Ideoque cum plures eadem didicerint, generibus quidem argumentorum similibus utentur: alius tamen alio plura quibus utatur, inveniet. ⁷ Sit exempli

¹ Lex est, Qui patri.] Ex lege altera, qua filius si patri affuerit *proditiōnis damnato*, mittitur in exilium, colligimus, si pater damnatus fuerit, eique filius non affuerit, filium nullo modo plectendum. lex igitur superior de exheredatione hunc habet intellectum, ut filius si patri reo proditiōnis non adfuerit, paterque absolutus sit, exheredetur, alias non exheredetur. *Idem.*

² Cic. pro Cluentio.] Popilius & Gutta iudices fuerunt cum Oppianicus est damnatus, iidemque postea damnati sunt. igitur accusator Cluentii ait eos fuisse damnatos corrupti iudicii: Cic. negat, sed ait damnatos ambitus. *Idem.*

³ E lege sint post hanc victoriam restituti.] Lex est apud iurisperitos, ut qui ex aliqua lege condemnatus fuerit, si eiusdem criminis reum aliquem peragere possit, in integrum & pristinum statum restituatur. *Idem.*

⁴ Nec minus.] Fabius docet non solum pleraque argumenta duci à causæ proprietate, verum etiam *propositiōnes* & *questiones*. itaque vis inveniendi cum

magna ex parte posita sit in argumentis & propositionibus, magna ex parte à proprietate causæ ducitur. Itaque utrumque curandum diligenter, ut inveniamus quid proponamus, & quo proposita probemus: in quibus duobus fere omnis *inventionis* vis consistit. De hoc vide Eras. lib. 2. de *Copia*, qui & ipse tractat fusissime thema sequens de *Thebalis*, quod in certas propositiones dividit, easque amplificat. *Idem.*

⁵ Nam ut tela.] Non aliter quam qui in tenebris digladiantur, qui que nesciunt in quos tela conjiciunt, *frustra* id *facere* dicuntur: sic orator nisi cognoverit quo probationes suas sit directurus, videbitur more *andabatarum* pugnare: quos scribunt auctores temere nullaque arte tela jaculari. *Idem.*

⁶ Comprehendi arte non possit.] Nam ars duntaxat comprehendit, quæ *generalia* sunt: quæ autem oriuntur à proprietate litis, sunt *singularia*, & in singulis causis evariant, ita non cadunt sub artis comprehensionem & præcepta. *Idem.*

⁷ Sit exempli gratia.] Huc pertinent ea quæ

exempli gratia proposita controversia, quæ minime communes cum aliis quæstiones habet: *Cum Thebas evertisset Alexander, invenit tabulas quibus centum talenta mutua Thessalis dedisse Thebanos continebatur. Has, quia erat usus commilitio Thessalorum, donavit his ultro. postea ¹ restituti à Cassandro Thebani reposcunt Thessalos. ² Apud Amphictyonas agitur. Centum talenta & credidisse eos constat, & non recepisse. Lis omnis ex eo quod Alexander ea Thessalis donasse dicitur, pendet. Constat illud quoque, non esse his ab Alexandro pecuniam datam. quæritur ergo, an perinde sit quod datum est, ac si pecuniam dederit. Qui proderunt argumentorum loci, nisi hæc prius videro, nihil eum egisse donando, non potuisse donare, non donasse? Et prima quidem actio facilis ac favorabilis, repentium jure, quod vi sit ablatum: sed hinc aspera & vehemens quæstio exoritur de jure belli, dicentibus Thessalis hoc regna, populos, fines gentium atque urbium contineri. Inveniendum contra est quod distet hæc causa à cæteris ³ quæ in potestatem victoris venirent: nec circa probationem res hæret, sed circa propositionem. Dicamus in primis in eo quod in iudicium deduci potest, nihil valere jus belli: nec armis erepta, nisi armis posse retineri. Itaque ubi illa valeant, non esse iudicem: ubi iudex sit, illa nihil valere. Hoc inveniendum est, ut adhiberi possit argumentum. ⁴ Ideo captivos, si in patriam suam redierint, liberos esse, quia bello parata, non nisi eadem vi possideantur. Proprium est & illud causæ, quod*

ea quæ à Rodolpho Agricola scribuntur lib. 2. cap. 11. de una quæstione in plures multiplicanda. nam ea res suppeditat multitudinem propositionum. huc etiam faciunt quæ ab Hermogene tractantur de capitibus, tum in libro de statibus, tum in tertio de inventione. Idem.

¹ Restituti à Cassandro.] Cassander unus ex Alexandri ducibus, Thebas quas Alexander everterat, post ejus mortem restituit. est autem hæc historia apud Diodorum Siculum. Idem.

² Apud Amphictyonas.] Amphictyo-

nes iudices erant totius Græciæ, qui in Thermopylis de litibus disceptabant. eo autem conventus fiebat ab omnibus Græciæ populis. Idem.

³ Quæ in potestatem victoris venirent.] Nam corpora omnia in potestatem victoris veniunt, non etiam jura quæ corpore carent. agitur autem de jure crediti. Idem.

⁴ Ideo captivos.] Jurisconsulti ajunt, ea quæ capta sunt ab hostibus, si denuo redeant, jure postliminii pristina jura recuperare. Idem.

quod Amphictyones judicant: ¹ ut alia apud centumviros, alia apud privatum judicem in iisdem quæstionibus ratio sit. Tum secundo gradu *non potuisse donari a victore jus, quia id demum sit ejus, quod ipse teneat*: ² *jus, quod sit incorporale, apprehendi manu non posse*. Hoc reperire difficilius, quam cum inveneris, argumentis adjuvare: ut *alia sit conditio hæredis: alia victoris*: quia ad illum jus, ad hunc res transeat. Proprium deinde materiæ, jus ³ publici crediti transire ad victorem non potuisse, quia quod populus crediderit: omnibus debeat: & quandiu quilibet unus superfuerit, esse eum totius summæ creditorem: *Thebanos autem non omnes in Alexandri manu fuisse*. Hoc non extrinsecus probatur, quæ vis est argumenti, sed ipsum per se valet. Tertii loci pars prior magis vulgaris, *non in tabulis esse jus*: itaque multis argumentis defendi potest. Mens quoque Alexandri duci debet in dubium, ⁴ *honoravit eos, an deceperit*. Illud jam rursus materiæ proprium, & velut novæ controversiæ, *quod* ⁵ *restitutione recepisse jus, etiam si quod amiserint, Thebani videntur*. Hic & quid Cassander velit, quæritur: sed vel potentissima apud Amphictyonas ⁶ æqui tractatio est. ⁷ Hæc non idcirco dico, quod inutilem horum locorum, ex quibus argu-

menta

¹ *Ut alia apud Centumviros.*] Centumviri tempore Cic. de litibus *privatis* cognoscebant. apparet Fabii tempore immutatam fuisse horum cognitionem, ut etiam de *publicis* causis judicarent. sic antea eos dixit cognoscere de *causis capitalibus*. Idem.

² *Jus, quod sit incorporale.*] Jurisconsulti *res* ajunt alias esse *corporales*; alias *incorporales*: illas tangi & videri posse, has non posse. *corporales* igitur ad victorem transeunt, *incorporales* non item. Idem.

³ *Publici crediti.*] *Publicum creditum* vocat, quod universa gens aut natio mutuo dedit: idque debetur quandiu unus ex gente illa aut natione superstes est. Idem.

⁴ *Honoravit eos.*] Alii codices ha-

bent, *oneraverit*, alia *exoneraverit*, id est, debitis absolverit, quæ lectio constare potest: qua voce utuntur jurisconsulti frequenter. Idem.

⁵ *Restitutione recepisse jus.*] Significat non simul cum tabulis *jus* etiam transire, alias si quis tabulas meas haberet aut surriperet, *jus* etiam haberet, cum tamen sit *jus incorporale*. Idem.

⁶ *Æqui tractatio est.*] Quidam iudices sententiam ferunt ex legum præscripto, alii (ut *Amphictyones*, quorum libera est cognitio) æquitatem magis sectantur. illic igitur proderit æquitatis tractatio. Idem.

⁷ *Hæc non.*] *Artis loci* non satis instrunt hominem, nisi solertia quadam & experientia peculiare causæ propositiones & argumenta possit eruere. Idem.

I Nec

menta ducuntur cognitionem putem, alioqui nec tradidif-
sem, sed ne si qui cognoverint ista, si cætera negligent,
perfectos se protinus atque consumnatos putent: & nisi in
cæteris quæ mox præcipienda sunt, elaboraverint, mutam
quandam scientiam consecutos intelligant. ¹ Nec enim ar-
tibus editis factum est ut argumenta inveniremus: sed dicta
sunt omnia antequam præciperentur: mox ea scriptores
observata & collecta ediderunt. Cujus rei probatio est,
quod exemplis eorum veteribus utuntur. & ab oratoribus
illa repetunt: ipsi nullum novum, & quod dictum non sit,
inveniunt. Artifices ergo illi, qui dixerunt: sed habenda
iis quoque gratia est, per quos labor nobis detractus est.
² Nam quæ priores beneficio ingenii singula invenerunt,
nobis & non sunt requirenda, & nota omnia. ³ Sed non
magis hoc sat est, quam palæstram didicisse, nisi corpus
exercitatione, continentia, ⁴ cibus ante omnia natura ju-
vetur, sicut contra ne illa quidem satis sine arte profuerint.
⁵ Illud quoque studiosi eloquentiæ cogitent, neque omni-
bus in causis ea quæ demonstravimus, cuncta posse reperi-
ri: neque cum proposita fuerit materia dicendi, scrutanda
singula, & velut ostiatim pulsanda, ut sciant an ad proban-
dum id quod intendimus, forte respondeant: nisi cum di-
scunt, & adhuc usu carent. Insuper enim faciet ipsa res
dicendi tarditatem, si semper necesse sit ut tentantes unum-
quodque eorum, quod sit aptum atque conveniens, experi-
endo noscamus: nescio an etiam impedimento futura
sint,

¹ Nec enim.] Ante artem ullam di-
cendi conscriptam fuit *dicendi facultas*.
nam ars ipsa initium habuit ab observa-
tione. *Idem.*

² Nam quæ priores.] Μελέτη πρὶν ἔσθ
δύνα.

³ Sed non magis.] Significat præce-
ptiones artis non prodesse sine studio,
exercitatione, & natura, ut docuit lib.
primo. *Turneb.*

⁴ Cibus.] Athleta certam victus for-

mulam sequebantur, ac valentissimis
alimentis nutriebantur: unde dicitur
Celso *victus athleticus*, & Juvenali ath-
letarum panis dicitur *coliphium*. *Idem.*

⁵ Illud quoque.] Non omnes loci (ut
docet Cic.) cadunt in quamlibet dispu-
tationem, ac quidam magis proprii
sunt conjecturæ, ut *causæ* & *adjunctæ*:
quidam finitionis, ut *proprium*, *differens*,
genus, atque ita deinceps in reliquis.
Idem.

sint, nisi & animi quædam ingenita natura, & studio exercitata velocitas, recta nos ad ea quæ conveniunt causâ, ferant. ¹ Nam ut cantus vocis plurimum juvat sociata nervorum concordia, si tamen tardior manus, nisi inspectis dimensisque singulis quibus quæque vox fidibus jungenda sit: dubitet, potius fuerit esse contentum eo quod simplex canendi natura tulerit: ita hujusmodi præceptis debet quidem aptata esse & citharæ modo intenta ratio doctrinæ: sed hoc exercitatione multa consequendum, ut quemadmodum illorum artificum, etiam si alio spectent, manus tamen ipsa consuetudine ad graves, acutos, mediosque horum ² sonos fertur: sic oratoris cogitationem nihil moretur hæc varietas argumentorum & copia, sed quasi offerat se, & occurrat: & ut literæ syllabæque scribentium cogitationem non exigunt, sic rationes sponte quadam sequantur.

¹ Nam ut cantus vocis.] Sic olim faciebant citharædi. nam & citharam pulfabant & accinebant. at citharistæ duntaxat citharam pulsant, non etiam accinunt. Idem.

² Sonos graves.] Hypate & parhypate gravem efficiunt sonum in cithara & lyra, nete & paranete acutum, mese & paramese & lichanos medium. Idem.

C A P. XI.

De exemplis.

II. **T**ertium genus ex iis quæ extrinsecus adducuntur in causam, Græci vocant *ὑποδείγμα*, quo nomine & generaliter usi sunt in omni similium appositione, & ¹ specialiter

Exemplum à Fabio latius accipitur. Nam & similitudinem complectitur, & id quod speciali nomine exemplum nuncupamus. porro exempla Fabius separavit ab argumentis, qui non tam sunt argumenta quam argumentationes. unde Græci argumentationem partiuntur in syllogismum, enthymema, inductionem, & exemplum. Idem.

¹ Specialiter.] Nam exemplum species

est similitudinis, ut testatur Cic. in Top. Exempla enim idem efficiunt quod similia, nec quicquam interest nisi quod hæc sumuntur à factis cum auctoritate. Ut, quemadmodum equum si exerceas, paulatim redditur ad ferendos summos labores tolerabilior: ita corpus hominis si per gradus assuescat majoribus, tolerat quæ alius non auderet attingere: simile est. Exemplum erit, Milo Crotoniæ qui

cialiter in iis quæ rerum gestarum auctoritate nituntur. Nostri fere *similitudinem* vocare maluerunt, quod ab illis ¹ *Παρομοίωσι* dicitur: hoc alterum, *exemplum*: quanquam & hoc simile est: & illud, exemplum. Nos quo facilius propositum explicemus, utrumque *ὑπόδειγμα* esse credamus, & ipsi appellemus *exemplum*. ² Nec vereor ne videar repugnare Ciceroni, qui *collationem* separat ab *exemplo*. ³ Nam idem omnem argumentationem dividit in duas partes, *inductionem* & *rationem*, ut plerique Græcorum in *ὑπόδειγμα* & *ἐπιχειρήματα*: dixeruntque *ὑπόδειγμα ῥητορικὴν ἐπιτηγών*. ⁴ Nam illa qua plurimum Socrates est usus, hanc habuit viam, ut cum plura interrogasset quæ fateri adversario necesse esset, novissime id de quo quærebatur, inferret, cui simile concessisset. Id est *inductio*. ⁵ Hoc in oratione fieri non potest: sed quod illic interrogatur, hic fere sumitur. Sit igitur illa interrogatio talis, *quod est pomum generosissimum? nonne quod optimum?* concederetur. ⁶ *Quid equus? qui generosissimus:*

nonne

qui singulis diebus ad aliquot stadia gestando vitulum, eundem post taurum factum ad tantundem spaciū facile gestavit. Vide Erasmi in Eccles. & Rod. Agricolam. *Idem*.

¹ *Παρομοίωσι*] *Parabola* comparatio est qualitati similis. est etiam nunquam *sermo enigmaticus*, latentem habens utilitatem. primo modo latinis dicitur *similitudo*, estque prior species *paradigmatis*, dicta quod alteri *ὑπόδειγμα* (hoc est *assimilatur*, & quasi umbra pravium veritatis est, inquit Hieronymus ad *Algasiam* *quæst.* 6. *Idem*.

² *Nec vereor.*] Cic. in *lib. de Inventione* comparabilia ponit in *collatione*, exemplo, & imagine, atque ita *collationem* ab *exemplo* separat: se tamen Ciceroni non refragari ostendit Fabius. *Idem*.

³ *Nam idem.*] Eodem *lib. de Inventione*. Ut enim *dialectici argumentationem* omnem dividere solent in *sylogismum* & *inductionem*, ita quoque *rhetores* in *epicherema* & *exemplum*. ac certe *epicherema* respondet *sylogismo*, *paradigma*

autem *inductioni*, ut testatur Arist. primo cap. *posteriorum analyticorum*. Fab. autem superiori cap. *de epicherematibus* egit, nunc *de exemplis*: atque ita Ciceronis divisionem sequitur. *Idem*.

⁴ *Nam illa qua.*] Tres ponuntur à Suida *inductionis* species: *dialectica*, quæ ex enumeratione singularum colligit universale: *oratoria*, quæ multarum similitudinum appositione conficit quod vult: *Socratica*, quæ similitum interrogatione rei similis tandem elicit confessionem. duæ posteriores pertinent ad *exemplum*. *Idem*.

⁵ *Hoc in ratiocinatione fieri non potest.*] Sunt qui impense laborarunt, sed frustra, ut *inductionem* ad *sylogismum* redigerent: ceterum Fabius hoc in loco satis indicat hoc fieri non posse: tum quia *inductio* progreditur à singularibus ad universalis, contra vero *sylogismus*: tum quia in *inductione* ferè utimur *interrogatione*, quod in *sylogismo* non licet. *Idem*. *Oratione.*] Alii, *ratiocinatione*.

⁶ *Quid equus? qui generosissimus.*] Juvenal.

Bb 4

nonne qui optimus? & plura in eundem modum. Deinde, cuius rei gratia rogatum est, quid homo? nonne is generosissimus, qui optimus? fatendum erit. Hoc in testium interrogatione valet plurimum, in oratione perpetua dissimile est. etenim sibi ipse respondet orator. Quod pomum generosissimum? puto quod optimum: & equus, qui velocissimus: ita hominum, non qui claritate nascendi, sed qui virtute maxime excellet. Omnia igitur ex hoc genere sumpta necesse est aut similia esse, aut dissimilia, aut contraria. ¹ Similitudo assumitur interim & ad orationis ornatum, sed illa cum res exiget: nunc ea quæ ad probationem pertinent, exequar. Potentissimum autem est inter ea quæ sunt hujus generis, quod proprie vocamus exemplum, id est rei gestæ, ² aut ut gestæ, utilis ad ³ persuadendum id quod intenderis, commemoratio. Intuendum igitur, totum simile sit, an ex parte: ut aut omnia ex eo sumamus, aut quæ utilia erunt. Simile est, Jure occisus est Saturninus, sicut Gracchi. Dissimile, Brutus occidit liberos proditorem molientes, ⁴ Manlius virtutem filii morte multavit. Contrarium, ⁵ Marcellus ornamenta Syracusanis hostibus restituit, Verres eadem sociis abstulit. ⁶ Et probandorum & culpandorum ex his confirmatio eodem

venal. Quis generosa putat nisi fortia? nempe volucrum Sic laudamus equum.

¹ Dissimilitudo assumitur.] Similitudo legendum hoc loco videtur. nam Fab. lib. 8. duo facit similitudinis genera, alterum quod ad illustrationem orationisque ornamentum pertineat: alterum quod ad probationem. Prior ornatui subjicitur, posterior ad confirmationem spectat, de qua hoc loco agit. Idem. Similitudo.] Alii, Dissimilitudo.

² Aut ut gestæ.] Hanc addit particulam propter exempla fabulosa & poetica, quæ per fictionem fiunt: de quibus egit cap. de argumentis, & post etiam ager. Vel ideo hoc addit, ut significet non semper exemplum verum esse, sed interdum verisimile tantum. Turneb.

³ Persuadendum.] Alii, suadendum.

⁴ Manlius virtutem.] Manlius Torquatus consul filium adolescentem fortissimum, quod extra ordinem absque consulis imperio cum hoste manum conseruisset, cum alioqui victoriam reportasset, securi percussit. Bruti historia nota ex 2. lib. Livii ab urb. cond. Turneb.

⁵ Marcellus.] Exemplum sumptum ex sexta Verrina Cic. Pugna, inquit, erat Agathoclis regis in tabulis picta præclari, &c. quæ seq. Idem.

⁶ Et probandorum.] Significat exempla locum habere in genere demonstrativo, sicque ut in judiciali duci à simili, dissimili, & contrario. addit etiam locum habere in deliberationibus quæ de futuro sunt. Idem.

† Diony-

dem gradus habet. Etiam in iis quæ futura dicemus, uti lis similibus admonitio est: ut si quis dicens, ¹ *Dionysium idcirco petere custodes salutis suæ, ut eorum adjutus armis tyrannidem occupet*: hoc referat exemplum, eadem ratione ² *Pisistratum ad dominationem pervenisse*. Sed ut sunt exempla interim tota similia, ut hoc proximum: sic interim ex majoribus ad minora, ex minoribus ad majora ducuntur. Si propter matrimonia violata ³ *urbes everse sunt, quid fieri adultero par est?* ⁴ *Tibicines cum ab urbe discessissent publice revocati sunt: quanto magis* ⁵ *principes civitatis viri, & bene de republica meriti, cum invidia cesserint, ab exilio reducendi?* Ad exhortationem vero præcipue valent imparia. Admirabilior in fœmina quam in viro ⁶ *virtus*. Quare si ad fortiter faciendum accendatur aliquis, non tantum afferent momenti Horatius & Torquatus, ⁷ *quantum illa mulier cujus manu Pyrrhus est interfectus: & ad moriendum non tam Cato & Scipio quam Lucretia*: quod ipsum est ex minoribus ad majora. Singula igitur horum generum ex Cicerone (nam unde potius?) exempla ponamus. Simile est hoc pro Muræna, ⁸ *Etenim mihi ipsi accidit, ut cum duobus patriciis, altero improbiſſimo atque audaciſſimo, altero modestiſſimo*

¹ *Dionysium.*] Patrem intelligi puto, qui perpetui imperii cupidissimus fuit usque ad crudelitatem. Idem. *Dionysium.*] Arist. 1. Rhet. Justin. 1. 11.

² *Pisistratum.*] *Pisistratus* multis vulneribus corpori illatis lætica delatus est in forum, conquestusque est sibi illata ab inimicis: impetratisque à populo corporis custodibus, tyrannidem occupavit. Simile refert de M. Antonio Cic. in *Philip.* Idem.

³ *Si, & c. urbes everse.*] Ut *Troja*. Idem.

⁴ *Tibicines.*] *Tibicines* certo die solebant epulari in Jovis templo. id cum essent vetiti facere, *Tybur* secesserunt, ex senatusconsulto tamen sunt revocati, quod sacra fieri non possent absque musica. Idem.

⁵ *Principes civitatis.*] Valer. lib. 2. tit. de instit. antiq.

⁶ *Virtus.*] Fortitudo, quæ vulgo *audacia* dicitur, quum *audacia* fere in malo est, ut *virtus* in bono. Qua ratione fortiter dicimus, pro *audaciter*. Idem.

⁷ *Quantum illa mulier.*] *Pyrrhus rex* *Pirotarum* Argos irruperat. in conflictu à quodam sauciatus, cum ulcisci vellent, mater illius quem *Pyrrhus* insequeretur, conspicata filii periculum, de tecto regulam in caput *Pyrrhi* devolvit, *Pyrrhum*que interfecit. Idem.

⁸ *Etenim mihi ipsi.*] *Servius Sulpitius Murænam* dicebat ad consulatum ambitu pervenisse: quia cum ipse patricius esset, à *Muræna* dignitate superari non potuisset. quod ut refutet Cicero, exemplum suum confert, qui anno prioris novus homo duobus patriciis in consulatu prælatus fuerit. Idem.

ximo atque optimo viro peterem : superavi tamen dignitate Catilinam, gratia Galbam. Majus minoris, pro Milone, Negant intueri lucem esse fas ei qui à se hominem occisum esse fateatur. In qua tandem urbe hoc homines stultissimi disputant ? nempe in ea, quæ primum judicium de capite vidit M. Horatii fortissimi viri, qui nondum libera civitate, tamen populi Romani comitiis liberatus est, cum sua manu sororem esse interfectam fateretur. Minus majoris, occidi, non Spurium Melium, qui annonam levanda, jacturaque rei familiaris, quia nimis amplecti plebem putabatur, in suspicionem incidit regni appetendi, &c. deinde, Sed cum (auderet enim dicere, cum patriam periculo liberasset) cujus nefarium adulterium in pulvinaribus. & totus in Clodium locus. Dissimile plures causas habet, fit enim genere, modo, tempore, loco, cæterisque, per quæ fere omnia Cicero præjudicia quæ de Cluentio videbantur facta, subvertit: ² Contrario vero exemplo censoriam notam, laudando censorum Africanum, qui eum quem ³ pejerasse conceptis verbis palam dixisset, testimonium etiam pollicitus si quis contradiceret, nullo accusante, ⁴ traducere equum passus est. quæ quia erant longiora, non suis verbis exposui. Breve autem apud ⁵ Virgilium contrarii exemplum est,

At non ille, satum quo te mentiris, Achilles

Talis in hoste fuit Priamo. Quædam autem ex iis quæ gesta sunt, tota narrabimus: ut Cicero pro Milone, Pudicitiam cum eriperet militi tribunus militaris in exercitu Caji Marii, propinquus ejus imperatoris, interfectus ab eo est, cui vim afferebat. Facere enim probus adolescens periculose, quam perpeti turpiter maluit: atque hunc ille summus vir scelere solutum, periculo libera-

¹ *Causas.*] Alii, casus.

² *Contrario vero.*] Valer. lib. 4. tit. de animi moderat.

³ *Pejerasse conceptis verbis.*] Antiqui in jurejurando certam verborum formulam observabant, idque *conceptis verbis jurare* dicebant. quod si quis tum falsum dixisset, *conceptis verbis pejerasse* ferebatur. Turneb.

⁴ *Traducere equum.*] Hoc factum dicitur à Valerio in Cajum Licinium sacerdotem, equitem Romanum. porro Romani equites Idibus Quintilibus recognoscebantur, equumque *traducebant*. id autem *traductio* appellatur & *transvectio*, vulgo *monstra*. Idem.

⁵ *Virgilium.*] Virgil. *Ancid.* 2.

liberavit. Quædam significare fatis erit, ut idem, ac pro eodem, Neque enim posset aut Hala ille Servilius, aut P. Nafica, aut L. Opimius, aut me consule senatus non nefarius haberi, si sceleratos interfici nefas esset. Hæc ita dicentur: prout nota erunt, vel utilitas causæ aut decor postulabit. ¹ Eadem ratio est eorum quæ ex poëticis fabulis ducuntur, nisi quod iis minus affirmationis adhibetur: cuius usus qualis esse deberet, idem optimus auctor ac magister eloquentiæ ostendit. Nam hujus quoque generis eadem in ² oratione reperietur exemplum: *Itaque hoc, iudices, non sine causa etiam fictis fabulis doctissimi homines memoriæ prodiderunt, eum cui patris ulciscendi causa matrem necavisset, ³ variatis hominum sententiis, non solum humana, sed etiam sapientissimæ deæ sententia liberatum.* ⁴ Illæ quoque fabulæ, quæ etiam si originem non ab Æsopo acceperunt (nam videtur earum primus auctor Hesiodus) nomine tamen Æsopi maxime celebrantur, ducere animos solent, præcipue rusticorum, & imperitorum: qui & simplicius quæ ficta sunt audiunt, & capti voluptate, facile iis quibus delectantur, consentiunt. Si quidem & Menenius Agrippa plebem cum patribus in gratiam traditur reduxisse nota illa de membris humanis adversus ventrem discordantibus fabula. Et Horatius ne in poëmate quidem humilem generis hujus usum putavit, in illis versibus,

⁵ *Olim quod vulpes agrote cauta leoni, &c.*

⁶ *Αἶνον* Græci vocant, & *αἰσώπωοιόν*, ut dixi, *λόγους μυθικούς*: nostrorum

¹ Eadem ratio est.] *Exempla fabulosa* imbecilla sunt, ideoque illis in oratione vix est utendum, nisi aliorum quoque exemplorum copia suppeditet. *Turneb.*

² *Oratione.*] Cic. pro Milone.

³ *Variatis hominum sententiis.*] Nam *Orestes*, ut Græci scholiastæ scribunt, causam dixit apud Areopagitas, illicque absolutus est. *Turneb.*

⁴ *Illæ quoque fabulæ.*] *Fabulæ* variis nominibus appellantur, pro inventorum diversitate. nam quædam dicuntur

Cypriæ, quædam Cilissæ, quædam Sibiricæ: cum tamen hoc fabularum genus maxime sit ab Æsopo celebratum, factum est ut *Æsopiæ* dicerentur fabulæ. *Idem.*

⁵ *Olim.*] Epist. lib. 1. epist. 1.

⁶ *Αἶνον* Græci vocant.] *Αἶνον*, ut ait Ammonius, explicatio quædam est sumpta ab animalibus brutis, aut plantis, ad commonitionem: *πυρριμίαι* autem est ipsius *αἶνος* caput & compendium, ut, *cantharus*

nostrorum quidam non sane recepto in usum nomine ¹ apologationem. Cui confine est *παροιμίας* genus illud, quod est velut fabula brevior, & per allegoriam accipitur. ² Non nostrum, inquit, onus: bos clitellas? ³ Proximas exempli vires habet *similitudo*, præcipueque illa quæ ducitur citra ullam translationum misturam ex rebus, pene paribus. ⁴ Ut qui accipere in Campo consueverunt, iis candidatis quorum nummos suppressos esse putant, inimicissimi solent esse: sic ejusmodi iudices infestissimi reo venerant. ⁵ Nam *ὁμοειδής*, quam Cicero collationem vocat, longius res quæ comparentur, repetere solet. Nec hominum modo inter se opera similia spectantur, ut Cicero pro Muræna facit, ⁶ Quod si è portu solventibus, ii qui jam in portum ex alto invehuntur, prædicere summo studio solent & tempestatum rationem, & prædonum, & locorum: quod natura fert, ut iis saveamus qui eadem pericula quibus nos perfuncti sumus, ingrediantur: quo me tandem animo esse oportet prope jam ex magna jactatione terram videntem, in hunc, cui video maximas reip. tempestates esse subeundas? Sed & à mutis atque etiam inanibus interim hujusmodi dicitur. Et quoniam similitum alia facies tali ratione, admonendum est, rarius esse in oratione illud genus ⁷ quod *εἰκὼν* Græci vocant (quo

εἰκὼν exprimitur aquilam. hæc enim parcemia in se continet etiam apologum. hoc tamen non fit in omnibus proverbiiis. Idem.

¹ Apologationem.] Plaut. Stich. Apologum vide.

² Non nostrum, inquit.] Ductum est hoc proverbium ex Epistolis Cic. ad Attic. quo significamus injunctam alicui provinciam non idoneam, aut impositum onus non commodum. nam *bovi non imponuntur clitellæ*, sed mulis, equis, cæterisque dorso animalibus. Turn.

³ Proximas exempli vires.] Vide Rodolph. lib. I. cap. 16. Idem.

⁴ Ut qui accipere.] In magistratum comitiis *divisores* quidam ac *sequestres pecunias* distribuiebant in tribus & centurias, quo suffragia emerent candidatis. Idem.

⁵ Nam *ὁμοειδής*] *Similitudo* à collatione discrepat: nam è propinquo ducitur & rebus pene paribus, *collatio* vero longius repetitur, nec solum res hominum comparat, verum etiam brutorum & rerum inanimatarum. Idem.

⁶ Quod si è portu.] Hujusmodi similitudinis comparisonem solent appellare à *proportionem* plerique dialectici: de qua posterius. Idem.

⁷ Quod *εἰκὼν* Græci vocant.] *Imago* formæ est, cum *forma* expressa representatio & similitudo. Arist. *imaginem* differre putat à *metaphora*, sola quasi enunciatione. nam si Achillem voces leonem, *metaphora* est: si illum ut leonem in hostes irruisse dicas, est *εἰκὼν*, id est, *imago*. Idem.

I Quis

exprimitur rerum aut personarum imago: ut Cassius: ¹ *Quis istam faciem² planipedis senis torquens?*) quam id quo probabilius fit quod intendimus: ut si animum dicas excolendum, similitudine utaris terræ, quæ neglecta sentes atque dumos, culta fructus creat: aut si ad curam reip. horteris, ostendas ³ apes etiam, formicasque non modo muta, sed etiam parva animalia, in commune tamen laborare. Ex hoc genere dictum illud est Ciceronis, *Ut corpora nostra sine mente, ita civitas sine lege, suis partibus ut nervis ac sanguine & membris uti non potest.* Sed ut hac corporis humani pro Cluentio, ita pro Cornelio, *equorum*: pro Archia, *saxorum* quoque usus est similitudine. Illa (ut dixi) propiora, *ut remiges sine gubernatore, sic milites sine imperatore nihil valere.* ⁴ Solent tamen fallere similitudinum species: ideoque adhibendum est his iudicium. Neque enim *ut navis utilior nova quam vetus, sic amicitia: vel ut laudanda quæ pecuniam suam pluribus largitur, ita quæ formam.* Verba sunt in his similia, ⁵ *vetustatis, & largitionis*: vis quidem longe diversa, *pecunia, & pudicitia.* Itaque in hoc genere maxime quæritur, an simile sit quod infertur. ⁶ Etiam in illis interrogationibus Socraticis, quarum paulo ante feci mentionem, cavendum ne incaute respondeas: ut apud Æschinem Socraticum male respondit ⁷ Aspasia Xenophontis uxor: quod Cicero his verbis

¹ *Quis istam faciem planipedis senis.*] Gebhard. Grepund. lib. 2. cap. 15. p. 95. ex Ms. Cod. *Lanipedis* legit.

² *Planipedis senis.*] *Planipedes* dicitur comœdia admodum humilis, cujus actio ab histrionibus citra soccum plano pede peragitur. Eodem quoque nomine appellatur *mimus*, qui eam comœdiam agit. *Turneb.*

³ *Apes etiam formicasque.*] *Arist. primo cap. lib. primi de historia animalium,* ait apes monarchiam habere, formicas democratiâ. *Idem.*

⁴ *Solent tamen*] Ideo apud rusticos sæpius quam doctos usurpari solet. *Idem*

⁵ *Vetustatis & largitionis.*] *Largitio-*

nem referre debemus ad pecuniam, *vetustatem* ad amicitiam & navim. Alii legunt *venustatem*, ut de eodem dictum accipiamus, quemadmodum in redditione dixit Fabius. *Idem.*

⁶ *Etiam in illis interrog.*] *Inductio Socratica* quæ per interrogationem fit, maxime solet respondentem illaqueare. cum enim res multas proponat, nec satis intelligat qui respondet quæ sit secutura conclusio, facile decipitur. hoc genere fallebat *sophistas* Socrates.

⁷ *Aspasia.*] Legendum videtur *Aspasia*, ut ex *Cic. lib. I. de Inventione* apparet. nec enim *Aspasia* vocatur Xenophontis uxor: & cum Xenophontis uxore di-

verbis transfert, Dic mihi, quæso, Xenophontis uxor si vicina tua melius habeat aurum, quam tu habes, utrum illius, an tuum malis? Illius, inquit. Quid si vestem & cæterum ornatum muliebrem pretii majoris habeat, quam tu habes, tuum, an illius malis? Illius vero respondit. Age, inquit, si virum illa meliorem habeat, quam tu habes, virumne tuum, an illius malis? Hic mulier erubuit, merito. male enim responderat, se malle alienum aurum, quam suum: nam est id improbum. At si respondisset, malle se aurum suum tale esse, quale illud esset, potuisset pudice respondere, malle se virum suum talem esse, qualis melior esset. Scio quosdam inani diligentia per minutissimas ista partes secuisse, & esse aliquid minus simile, ut simia homini, & ut marmora¹ deformata prima manu: aliquid plus, ut illud, Non ovum tam simile ovo. Et dissimilibus inesse simile, ² ut est formica & elephanto genus, quia sunt animalia. Et similibus dissimile:

— Ut canibus catulos, & matribus hædos:

differunt enim ætate. Contrariorum quoque aliter accipi opposita ut noctem luci, aliter noxia, ut frigidam febrim: aliter repugnantia, ut verum falso: ³ aliter disparata, ut dura non duris. Sed quid hæc ad præfens propositum magnopere pertineant, non reperio. Illud est annotandum, magis argumenta duci ex jure simili: ut Cicero in Topicis, Ei cui domus ⁴ ususfructus relictus sit, non restitutum hæredem si corrue-

rit,

re disputat Aspasia apud Æschinem. Idem. Aspasia Xenophontis uxor.] Fuit Sophistria quæ Rhetoricem docuit & Periclem amavit. Vide Vossium lib. 3. Instit. Orat. v. l. p. 377.

¹ Deformata prima manu.] Primam manum appellant primam sculpturam quæ opus exhibet adhuc impositum & rude. at summam manum vocant, cum opus ad unguem exolitur. Turneb.

² Ut est formica & elephanto genus.] Nam genus nihil aliud quam collectio similitudinis, quæ in speciebus reperitur. quanquam igitur species inter se dif-

crepant genere, tamen consentiunt & similes sunt. Idem.

³ Aliter disparata.] Disparata vocat Cic. quæ negationis oppositione efferruntur: dialectici vero ea dicunt disparata, quæ cum nec relativa sint, nec privantia, nec contraria, nec contradicentia, tamen inter se discrepant: ut lapis & homo. Idem.

⁴ Ususfructus.] Ususfructus est potestas alienis rebus utendi fruendi, salvo rerum dominio. Constituitur autem in corporibus, quibus pereuntes deperit etiam jus illud. Idem.

I Nihil

rit, quia non restituat servum si is decesserit. Ex contrario, ¹ nihil obstat quo minus justum matrimonium sit mente coeuntium, etiam si tabulae signatae non fuerint. Nihil enim proderit signasse tabulas, si mentem matrimonii non fuisse constabit. Ex dissimili, quale est Ciceronis pro Cecinna: Ut si quis me exire domo coegisset armis, haberem actionem: si quis intrare prohibuisset, non haberem. Dissimilia sic deprehenduntur, Non si qui argentum omne legavit, videri potest signatam quoque pecuniam reliquisse: ideo etiam quod est in nominibus, dari voluisse creditur. ² *Ἀναλογίαν* quidam à simili separaverunt, nos eam subjectam huic generi putamus. Nam ut unum ad decem, sic decem ad centum, simile certe est: & ut hostis, sic malus civis, quanquam hæc ulterius quoque procedere solent. Si turpis dominae consuetudo cum servo, turpis domini cum ancilla, Si mutis animalibus finis voluptas, idem homini. Cui rei facillime occurrit ex dissimilibus argumentatio. Non idem est dominum cum ancilla coisse, quod dominam cum servo. Nec si mutis finis voluptas, rationalibus quoque. Immo ex contrario, quia mutis, ideo non rationalibus. ³ Adhibetur extrinsecus in causam & auctoritas. Hæc secuti Græcos, à quibus *κρίσις* dicuntur, iudicia aut iudicationes vocant, non de quibus ex causa dicta sententia est: (nam ea quidem in exemplorum locum cedunt) sed si quid ita visum gentibus, populis, sapientibus viris, claris civibus, illustribus poetis, referri potest. Ne hæc quidem vulgo dicta, & recepta persuasione populari, sine usu fuerint testimonia. Sunt enim quodammodo vel potentiora etiam, quod non causis accommodata, sed liberis odio & gratia mentibus: ideo tantum dicta factaque,

quia

¹ Nihil obstat quo minus.] Ulpianus scribit consensu matrimonium fieri. Papinianus quoque ait tabulas consignatas non matrimonium protinus contrahere. Idem.

² *Ἀναλογίαν*.] Boëtius ac plerique dialectici proportionem à similitudine separant, nam in similitudine est qualitatis collatio, in proportionem habitudinum &

affectionum comparatio. Idem. *Ἀναλογίαν* quidam à simili, &c.] Vide Vossium Instit. Orator. lib. iv. tit. p. 86.

³ Adhibetur extrinsecus.] Cic. quoque in Topicis auctoritatem ait extrinsecus assumi, eamque refert inter locos inartificiales, & subicit testimonio. Appellatur hic locus à pronuntiatione à Rodolpho. Turneb.

I QUR

quia aut honestissima, aut verissima videbantur. An vero me de incommodis vitæ differentem non adjuvabit earum persuasio nationum, ¹ *quæ fletibus natos, lætitiâ defunctos prosequuntur?* Aut si misericordiam commendabo judici, nihil proderit quod prudentissima civitas Atheniensium, non eam pro affectu, sed pro numine accepit? Nam illa septem præcepta sapientum, nonne quasdam vitæ leges existimamus? Si causam veneficii dicat adultera, non Marci Catonis iudicio damnata videatur, ² *qui nullam adulteram non eandem esse veneficam dixit?* Jam sententiis quidem poetarum non orationes modo sunt refertæ, sed libri etiam philosophorum: qui quamquam inferiora omnia præceptis suis ac literis credunt, repetere tamen auctoritatem à plurimis versibus non fastidierunt. Neque est ignobile exemplum, *Megæcos ab Atheniensibus, cum de Salamine contenderent*, ⁴ *victos Homeri versu*, qui tamen ipse non in omni editione reperitur, significans *Ajacem naves suas Atheniensibus junxisse*. Ea quoque quæ vulgo recepta sunt, hoc ipso quod incertum auctorem habent, velut omnium fiunt: quale est, ⁵ *Ubi amici, ibi opes*: & ⁶ *Conscientia mille testes*. & apud ⁷ Ciceronem. *Pares autem*

ut

¹ *Quæ fletibus natos, &c.*] Herodotus hoc refert de *Thrausis* populis Thraciæ finitimis, id alii etiam de Thracibus referunt, ut scribitur in epigrammate græco Archiæ. *Idem.*

² *Qui nullam adulteram, &c.*] Hoc etiam exemplum fufus explicatur à Cornificio lib. 4. ad Herennium cum de ratiocinatione loquitur. *Idem.*

³ *Jam sententiis quidem.*] Cic. pro Cælio testimonio utitur Terentii & Cæcili comici. Plato quoque in lib. de Rep. & Arist. in Moralibus persæpe utuntur testimonio Hesiodi & Homeri. *Idem.*

⁴ *Victos Homeri versu.*] Plutarchus in Solone ait Solonem illum versum infernisse, & causam obtinuisse. Versus Homeri sunt hi,

Αίας δ' ἐν Σαλαμῶνι ἄγαν δουρατὶ
δὲγα νῆας,

Στῆσε δ' ἄγων, ἵνα Ἀθηναίων ἵσαν
Φάλαγγες

*Bis senis Salamine Ajax cum navibus ibat,
Cecropidum quo castra loco pesuere phalanges.*

Idem exemplum affertur ab Aristot. r. rhetor. quo victos Megæcos ab Atheniensibus dicit. *Idem.*

⁵ *Ubi amici, ibi opes.*] Proverbium significat potiores esse amicos quacunque pecunia ad vitæ præsidia. potest etiam accipi in diversum sensum, ut significemus *vulgo estimari amicitias utilitate.* *Idem.* *Ubi amici, &c.*] Plaut. in Trucul.

⁶ *Conscientia mille testes.*] Proverbium significat conscientiam nunquam mentiri, sed ejus compunctione pravos semper agitari. Turneb.

⁷ *Ciceronem.*] De senectute.

I Quæ

(ut est in vetere proverbio) *cum paribus facillime congregantur*. Neque enim durassent hac in æternum, nisi vera omnibus viderentur. Ponitur à quibusdam, & quidem in parte prima, deorum auctoritas, quæ est ex responsis: ut *Socratem esse sapientissimum*. Id rarum est: tamen utitur eo Cicero in libro de aruspicum responsis: & in concione contra Catilinam, cum *signum Jovis columnæ impositum populo ostendit*: & pro Ligario, *cum causam Caji Caesaris meliorem, quia hoc dii judicaverint, consistetur*. ¹ Quæ cum propria causæ sunt, *divina testimonia* vocantur: cum aliunde arcessuntur, *argumenta*. ² Nonnunquam contingit judicis quoque, aut adversarii, aut ejus qui ex diverso agit, dictum aliquod aut factum assumere ad eorum quæ intendimus, fidem. Propter quod fuerunt qui exempla & has auctoritates, probationum inartificialium esse arbitrarentur, quod ea non inveniunt orator, sed acciperet. Plurimum autem refert. Nam *testis*, & *questio*, & his similia, & de ipsa re quæ in judicio est, ³ pronuntiant: extra petita, nisi ad aliquam præsentis disceptationis utilitatem ingenio applicantur, nihil per se valent.

¹ *Quæ cum propria.*] Deorum auctoritas interim est *artificialis*, interim *inartificialis*, *artificialis*, cum eam causa ultro non suppeditat. sed extrinsecus assumitur oratoris industria: *inartificialis* vero, cum illam ultro causa suggerit citra oratoris industriam. *Idem*.

² *Nonnunquam contingit.*] Sic *Aflius* cum probare vellet à Cluentio iudices esse corruptos, testimonio Cic. utebatur, qui secunda Verrina dixerat, etiam ab accusatore Cluentio iudices esse corruptos in judicio Juniano. *Idem*.

³ *Pronuntiant.*] Alii, *renunciant*.

CAP. XII.

De usu argumentorum.

HÆc fere de probatione vel ab aliis tradita, vel usu per-¹²cepta in hoc tempus sciebam. Nec mihi fiducia est, ut ea sola esse contendam: quinimmo hortor ad quærendum,

Explicatis argumentis sequitur eorum ¹ *usus*. tradit autem Fabius communes *torum usum* spectant: addit quædam de eorum collatione & dispositione. *Turbis*.

Cc

I Quæ-

dum, & inveniri posse fateor: quæ tamen adjecta fuerint, non multum ab his abhorrebunt. Nunc breviter quemadmodum sit utendum his, subjungam. Traditum fere est, *argumentum oportere esse confessum. Dubiis enim probari dubia qui possunt?* ¹ Quædam tamen quæ in alterius rei probationem ducimus, ipsa probanda sunt. *Occidisti virum, eras enim adultera.* Prius de adulterio convincendum est: ut cum id cœperit esse pro certo, fiat incerti argumentum: *Spiculum tuum in corpore occisi inventum est. negat suum.* ut probationi profit, probandum est. ² Illud hoc loco monere inter necessaria est, nulla esse firmiora, quam quæ ex dubiis facta sunt certa. *Cædes à te commissa est, cruentam enim vestem habuisti.* non est tam grave argumentum si fatetur quam si vincitur. Nam si fatetur, multis ex causis potuit cruenta esse vestis. Si negat hic causæ cardinem ponit, in quo si victus fuerit, etiam in sequentibus ruit. Non enim videtur in negando mentiturus fuisse, nisi desperasset id posse defendi si confiteretur. ³ Firmissimis argumentorum, singulis instandum, infirmiora congreganda sunt: quia illa per se fortia, non oportet circumstantibus obscurare, ut qualia sunt appareant: hæc imbecilla natura, mutuo auxilio sustinentur. Itaque si non possunt valere quia magna ⁴ sunt, valebunt quia multa sunt, quæ ad ejusdem rei probationem omnia spectant: ut si quis hæreditatis gratia hominem occidisse dicatur, *Hæreditatem sperabas, & magnam hæreditatem, & pauper eras, & tum maxime à creditoribus appellaberis: & offenderas eum cujus heres eras, & mutaturum tabulas*

¹ *Quædam tamen.]* Cum ad rei alicujus probationem *argumento* utimur non confesso, illud *argumentum* non est existimandum donec confirmatum fuerit, quia ante fidem non facit. *Idem.*

² *Illud hoc loco.]* *Argumenta* illa quæ in dubium revocantur ab adversario, si probari possunt, omnium sunt certissima, at certe longe certiora, quam si ini-

tio essent concessa. *Idem.*

³ *Firmissimis argumentorum.]* Hoc præceptum sapius à Fabio repetitum est. Contrarium autem fieri solet in *refutatione.* nam infirmiora separantur, firma autem quasi prætereunt, quoniam cum illis pedem conferre non audemus. qua de re postea Fabius. *Idem.*

⁴ *Sunt.]* Alii, non sunt.

bulas sciebas. Singula levia sunt, ¹ & communia: universa vero nocent, ² etiam si non ut fulmine, tamen ut grandine. Quaedam argumenta ponere satis non est, ³ adjuvanda sunt: *ut si cupiditas causa sceleris fuit, quæ sit vis ejus: ira, quantum efficiat in animis hominum talis affectio.* Ita & firmiora erunt ipsa, & plus habebunt decõris, si non nudos & velut carne spoliatos artus ostenderint. ⁴ Multum etiam refert, si argumento nitentur odii, *utrum hoc ex invidia sit, an ex injuria, an ex ambitu: vetus, an novum: adversus inferiorem, parem, an superiorem: alienum, an propinquum.* Suos habent omnia ista tractatus, & ad utilitatem partis ejus quam tuemur, referenda sunt. Nec tamen omnibus semper quæ invenerimus argumentis onerandus est iudex: ⁵ quia & tædium afferunt, & fidem detrahunt. Neque enim potest iudex credere satis esse ea potentia, quæ non putamus ipsi sufficere qui dicimus. ⁶ In rebus vero apertis argumentari tam sit stultum, quam in clarissimum solem ⁷ mortale lumen inferre. His quidam probationes adjiciunt, quas ⁸ *παθηλῆς* vocant,

¹ *Et communia.] Communia appellat argumenta, quæ non magis pro nobis faciunt, quam pro adversariis: quæ denique nullam vim probandi habent. Turnebus.*

² *Etiam si non ut fulmine.] Non eas habent vires, ut more fulmini unico possint icu percellere, possunt tamen more grandinis repetita & multiplicata plaga adversarium lædere. Idem.*

³ *Adjuvanda sunt.] Quamquam argumenta sunt adjuvanda, non tamen id faciendum est ita copiose ut semper incidamus in locos communes amplos & copiosos. Id enim 8. cap. hujus libri verit Fabius. Idem.*

⁴ *Multum etiam refert.] Alia ratio est confirmandi argumenti, à causa, cæterisque circumstantiis. Solent enim hæc etiam multum prodesse: ideoque diligenter examinandæ erunt. quod etiam lib. 4. de præmio & narratione præcepit. Idem.*

⁵ *Quia & tædium afferunt.] Sic Cicero pro Muræna, cum permultas leves Servii Sulpitii objectiones diluisset, demum adjecit illum nimis esse diligentem accusatorem, qui tot argumenta & crimina afferat. Ut enim vitio datur supina negligentia in oratore, ita nimia curiositas interdum. Idem.*

⁶ *In rebus vero apertis.] Sed Cic. se in hujusmodi excusare solet, ut pro Cluentio, Sed quid ego hæc pluribus quædere obscura disputem? &c. quæ seq. Et iterum in eadem, Neque in re nota consummam tempus exemplis. Ideo Cic. 2. de offic. Panætium quodammodo perstringit, quod utatur in re non dubia testibus non necessariis. Idem.*

⁷ *Mortale lumen.] Sic vocat σέσηρ. Vide Jan. Gebhard. Crep. lib. 3. cap. 7. pag. 119.*

⁸ *Παθηλῆς vocant.] Videtur Fabius patheticas dixisse pro ethicis. ethica enim Aristoteli sunt, quæ ab hominum motibus*

vocant, ductas ex affectibus. Atque Aristoteles quidem potentissimum putat ex eo qui dicit, si sit vir optimus: quod ut optimum est, ita longe quidem, sed sequitur tamen, videri. ¹ Inde enim illa nobilis Scauri defensio, *Quintus Varius Sucronensis ait Æmilium Scaurum rempub. populi Romani prodidisse: Æmilius Scaurus negat: 2 Cui simile quiddam fecisse Iphicrates dicitur, qui cum Aristophontem, quo accusante similis criminis reus erat, interrogasset an is accepta pecunia rempub. proditurus esset, isque id negasset: Quod igitur, inquit, tu non fecisses, ego feci?* Intuendum autem & qui sit apud quem dicimus: & id quod illi maxime probabile videatur, requirendum. Qua de re locuti sumus & in procemii & suaforiæ præceptis. ³ Altera ex asseveratione probatio est, *Ego hoc feci. Tu mihi hoc dixisti. &, O facinus indignum.* & similia. Quæ non debent quidem deesse orationi, & si desunt, multum nocent: non tamen habenda sunt inter magna præsidia, cum hoc in eadem causa fieri ex utraque parte similiter possit. illæ firmiores ex sua cuiusque persona probationes, quæ credibilem rationem subjectam habent: ut *vulneratus aut filio orbatus non fuerit alium accusaturus, quam nocentem: quando si 4 negotium innocenti facit, liberet eum noxa qui admisit.* ⁵ Hinc & patres adversus liberos, & adversus suos quisque

motibus ducuntur. de quibus agit hoc loco Fabius, ut de *patheticis lib. 6.* Turnebus.

¹ *Inde enim illa, &c.]* Ita scribitur à Valerio. *Q. Varius Æmilium Scaurum. Remp. prodidisse ait, Æmilius negat, nulli sunt testes: utri igitur Quirites fidem habetis?* aitque hac probitatis fiducia absolutum esse Scaurum. *Idem.*

² *Cui simile quiddam.]* Hoc exemplum ductum est ex secundo rhetoricorum Aristotel. quo loco agit de *enthymematum locis.* Item historia est apud Plutarch. *Idem.*

³ *Altera ex affirmatione.]* Aut affirmationem usurpat pro asseveratione, quæ vis est animi & motus, quædamque con-

tentio argumentis admixta, ut vult Raphael, ex *affirmatione* asseverationem faciens contra omnem codicum fidem, & rei veritatem: aut adeo dixit argumentum fieri à moribus dupliciter, *negando*, ut supra: *affirmando*, ut hoc loco, qui sensus videtur esse commodior, ut apparebit ex cap. de *refutatione.* itaque *affirmatione* legendum est. *Idem.*

⁴ *Negotium facit innocenti.]* Id est, *innocentem accusat.* idem, & crebrius, *facessere & exhibere negotium.* *Idem.*

⁵ *Hinc & patres.]* Ut si pater filium abdicaret, auctoritatem facti sui peteret à filii sui pravitate. cum alioqui parentes sint liberis semper benevoli: aut aliter, unusquisque se putat auctoritatem habere

quisque necessarios auctoritatem petunt. Quæsitum etiam potentissima argumenta primone ponenda sint loco, ut occupent animos: an summo ut inde dimittant: an partita primo summoque. ut ¹ Homericæ dispositione in medio sint infirma: an à minimis crescant. Quæ prout ratio causæ cujusque postulabit, ordinabuntur uno (ut ego censeo) excepto, *ne à potentissimis ad levissima decrescat oratio.* ² Ego hæc breviter demonstrasse contentus, ita posui, ut locos ipsos & genera quam possem apertissime ostenderem. Quidam executi sunt verbosius, quibus placuit proposita locorum communium materia, quæque res modo dici posset, ostendere: sed mihi supervacuum videbatur. Nam & fere apparet *quid in invidiam, quid in avaritiam, quid in testem inimicum, quid in potentes amicos* dicendum sit. Et de omnibus his omnia dicere infinitum est, tam hercule, quam si controversiarum, quæ sunt, quæque futuræ sunt, quæstiones, argumenta, sententias tradere velim. Ipsas autem argumentorum velut sedes non me quidem omnes ostendisse confido, plurimas tamen. ³ Quod eo diligentius faciendum fuit, quia declamationes, quibus ad pugnam forensam ⁴ velut præpilatis exerceri solebamus, olim jam ab illa vera imagine

bere in suos consanguineos, quia sit propinquus, ac justum sit necessarios propinquis parere. *Idem.*

¹ *Homericæ dispositione.*] Suadent plerique omnes, ut primo loco *potentia* ponantur *argumenta*, medio *infirma*, ultimo *potentissima*. Sic Nestor apud Homerum lib. 4. Iliados, fortes prima collocat acie, imbelles media, præstantes ultima. Eius verba sic habent, *ἰσχυρὰς ἔπειτα σὺν ἰσχυροῖσι*, &c. Plura apud Cic. 2. de Orat. & in Orat. *Idem.*

² *Ergo hæc.*] Reprehendit Fabius genus illud dicendi, quod ejus ætate inoleverat, solamque sectabatur voluptatem cum lepore. Reprehendit item quorundam artes qui in traditione *argumentorum* materiam locorum communium sigillatim tractabant, ut Aristoteles pro-

lixæ, & Boëtius multo prolixissime. qua de re supra quoque egit. *Idem.*

³ *Quod eo diligentius.*] Eo diligentius tractandum fuit *de locis*, quia eloquentia Fabii tempore ab *argumentandi* ratione degeneraverat ad *voluptatem* dicendi. quæ ratio etiam Fabium impulit ut libros de *corrupta eloquentia* conscriberet. qua de re extat quoque *dialogus Taciti*. *Idem.*

⁴ *Velut præpilatis.*] Metaphora est ducta à *Trojæ lusu*, quo hastis inter se equites decertant. Dicuntur autem *præpilata hostia* præferratæ & spiculo armatæ, ad differentiam *purarum*. quamquam *præpilatas* nonnulli explicant pro mucronatis & exacuminatis absque ferro, ut Plinius dixit, *præpilata cornicula locustarum*. *Idem.*

imagine orandi recesserunt, atque ad solam compositæ voluptatem, nervis carent, non alio mediis fidiis vitio dicentium, quam quo ¹ mancipiorum negotiatores, formæ puerorum virilitate excisa lenocinantur. Nam ut illi robur ac lacertos barbamque ante omnia, & alia quæ natura propria maribus dedit, parum existimant decora: quæque fortia, si liceret, forent, ut dura molliunt: ita nos habitum ipsum orationis virilem, & illam vim strictè robusteque dicendi, tenera quadam elocutionis cute operimus: ² & dum lævia sint ac nitida, quantum valeant, nihil interesse arbitramur. Sed mihi naturam intuenti, *nemo non vir ³ spadone formosior erit*: nec tam averfa unquam videbitur ab opere suo providentia, ut debilitas inter optima inventa sit. Nec id ferro speciosum fieri putabo, quod si nasceretur, monstrum erat. ⁴ Libidinem juvet ipsum effœminati sexus mendacium, nunquam tamen hoc continget malis moribus regnum, ut *si qua preciosa fecit, fecerit & bona*. Quapropter ⁵ eloquentiam licet hanc (ut sentio enim dicam) libidinofam resupina voluptate auditoria probent: nullam esse existimabo, quæ ne minimum quidem in se ⁶ indicium masculini & incorrupti, ne dicam gravis & sancti viri, ostendet. An vero statuarum artifices, pictoresque clarissimi, cum corpora quam speciosissima fingendo pingendove efficere cuperent, nunquam in hunc inciderunt errorem, ut ⁷ *Bagoam* aut *Megabyzum* aliquem in exemplum operis sumerent

¹ Mancipiorum.] Alii, Sunt mangones.

² Et dum lævia sint, &c.] Hac de re etiam Fabius agit lib. 2. cap. 6. cum ait illos lasciviam fosciculos in oratione esse vitandos. Turneb.

³ Spadone formosior.] Spado dicitur, cui cremasteres, id est, nervuli quibus suspensi sunt colei, excisi sunt. Idem.

⁴ Libidinem juvet, &c.] Solebant enim mangones pueros execare ut eos carius divenderent, utpote formosiores. id tamen ne in posterum fieret cautum

est imperialibus & ecclesiasticis edicis. Idem.

⁵ Eloquentiam libidinofam.] Sic vocat eam quæ suaviter animos & flagitiosissime titillat, & ingenue mentis robur infringit. Vide Lud. Cresollium Vacat. Autumn. l. 3. c. 19 sect. 2. p. 568. & seqq.

⁶ Indicium masculini, &c.] Qualis est oratio, talis est etiam homo. igitur si illa libidinosa erit & lasciva nimiumque mores conveniet. Turneb.

⁷ Bagoam.] Bagoas lingua Persica dicitur

rent sibi, sed ¹ *Doriphorum* illum aptum vel militiæ vel palæstræ, aliorumque juvenum bellicosorum & athletarum corpora, ² quæ esse decora vere existimarint: nos qui oratorem studemus effingere, non arma, ³ sed tympana eloquentiæ demus? ⁴ Igitur & ille quem instituimus, adolescens, quam maxime potest componat se ad imitationem veritatis: initurusque frequenter forensium certaminum pugnam, jam in schola victoriam spectet, & ⁵ ferire vitalia ac tueri sciat: & præceptor id maxime exigat, & inventum præcipue probet. Nam ut ad pejora juvenes laude ducuntur, ita laudari in bonis ⁶ mallent. ⁷ Nunc illud mali est, quod necessaria plerumque silentio transeunt, nec in dicendo videtur inter bona ⁸ utilitas. Sed hæc & in ⁹ alio nobis tractata sunt opere, & in hoc sæpe repetenda. Nunc ad ordinem inceptum revertamur.

C A P.

citur eunuchus: sicque permulti apud Persas sunt appellati, ut ille à quo infectus est *Ochus*. Hermolaus tamen Barbarus *baculum* putat esse legendum: sic enim appellamus *semivirum*, stultum & bardum. Vide Erasm. in proverb. *baculo similis*. Strabo autem scribit *Megabyros* seu *Megalohyros* appellari Dianæ sacerdotes: quod etiam testatur Plinius. Illi porro erant emasculati. Fuit & *Megabyrus* unus ex concubitoribus Darii Persarum regis, postea turpiter ab Alexandro amatus. *Idem. Ut Bagoam aut Megabysum, &c.* Vide Gebhardi Animadvers. in Propertii illum versum lib. 2. Eleg. 3. v. 42. p. 163. & Cæl. Rhodig. Antiq. lect. l. 15. c. 8. p. 675.

¹ *Doriphorum illum.*] *Doryphoros* appellant Græci satellites ac prætorianos milites, qui regibus ad custodiam corporis solent apparere. Sunt autem hi excelsa statura & egregia fere forma. Cæterum Polycleetus *Doryphorum* finxit, quam statuam sibi magistræ dixit fuisse *Lysippus*. Meminit Plin. lib. 34. *Idem.*

² *Quæ esse decora vere existimarunt.*]

Dan. leg. *decere se*. Pith. *Quæ esse, &c.*] Plutarchus in vita Alexand.

³ *Tympana.*] Vel *tympana* dixit, quia instrumentum illud simpliciter est molliciei, vel respiciens ad *Megabyrum*. sacerdotes enim Dianæ evirati, & sacerdotes Cybeles tympana pulsare solebant. *Turneb. Tympana.*] Plin. l. 35. c. & l. 34. c. 8. & Cic. in Orat.

⁴ *Igitur & ille.*] Hoc frequenter repetit, ut lib. 1. & lib. 2. & l. 10. fusius. *Turneb.*

⁵ *Ferire vitalia.*] Metaphora est ducta à gladiatoribus. significat autem firmamentis causa maxime esse insistendum, illicque adversarium lædendum. sunt autem *vitalia*, viscera illa quibus vita potissimum continetur. *Idem.*

⁶ *Mallent.*] Alii, *Gaudent.*

⁷ *Nunc illud mali est, &c.*] Vide Jan. Gebhard. *Crepund.* lib. 1. cap. 12. p. 34. 35. Tacitum l. 2. *Annal.* cap. 38. lib. 14. cap. 12.

⁸ *Utilitas.*] An *Virilitas*?

⁹ *Alio opere.*] De *causis corruptæ eloquentiæ*. *Turneb.*

C A P. XIII.

De refutatione.

13 **R**efutatio dupliciter accipi potest. Nam & pars defensoris tota est posita in refutatione: & quæ dicta sunt ex diverso, debent utrinque dissolvi: & hæc est proprie, cui in causis quartus assignatur locus. Sed utriusque similis conditio est. Neque vero ex aliis locis ratio argumentorum in hac parte peti potest, quam in confirmatione: nec ¹ locorum aut sententiarum, aut verborum & figurarum alia est conditio. ² Affectus plerunque hæc pars mitiores habet. ³ Non sine causa tamen difficilius semper est creditum (quod Cicero sæpe testatur) defendere, quam accusare: Primum, quod est res illa simplicior, proponitur enim uno modo, dissolvitur varie: cum accusatori satis sit plerunque, verum esse id quod objecerit: ⁴ patronus neget, defendat, transferat, excuset, deprecetur, molliat, minuat, avertat, despiciat, derideat: ⁵ quare indirecta fere, atque, ut sic dixerim, clamorosa est actio. Hinc mille flexus & artes desiderantur. Accusator præmeditata pleraque domo affert:

Primum refutationis intellectus duos ponit: subnectit eisdem esse ejus locos & confirmationis: addit refutationem longe difficiliorem esse, quam confirmandi: demum explicat quibus rationibus adversariorum argumenta solvere possimus. Refutare autem & refutationem sæpius multo quam confutare & confutationem apud Cic. & Quintil. reperies. Reprehensio dicitur à Cic. lib. 1. de Invention. Turneb.

1 Locorum.] Alii, jocorum.

2 Affectus mitiores.] Nam qui confirmat, utitur contentione & asseveratione, demum etiam nonnunquam judicem ad iram impellit: at qui refutat omnia lenius agit, ac sibi plerunque proponit æquitatem. hoc tamen non est perpetuum. Turneb.

3 Non sine causa.] Cic. lib. 2. Offic.

ait duobus generibus in foro laudem parari, accusatione & defensione: defensionem tamen laudabiliorem esse, & longe difficiliorem. quod idem testatur in oratore. Et Fabius fustus libro 12. cap. 7. Idem.

4 Patronus neget.] Fabius definitionem omisit, eam tamen sub negatione intelligere debemus: quæ duplex est, conjecturalis, cum negamus factum: definitiva, cum negamus hoc esse factum. ac sic utitur in sequentibus Fabius. Idem.

5 Quare indirecta.] Hoc intelligendum videtur de actione accusatoris, quæ non magnam desiderat artem, sed temerario fertur impetu & indirecto. quod si intelligere id velis de actione patroni (quod tamen non æque placet) indirecta dicitur actio flexuosa, sinuosa & ambigua. Idem.

1 Accusa

affert: patronus etiam inopinatis frequenter occurrit. Accusator dat testem: patronus ex re ipsa refellit. ¹ Accusator criminum invidia, etsi falsa sit, materiam dicendi trahit, *de parricidio, sacrilegio, majestate.* quæ patrono tantum neganda sunt. Ideoque accusationibus etiam mediocres in dicendo suffecerunt: bonus defensor nemo, nisi qui eloquentissimus fuit. Nam ut quod sentio semel finiam, *tanto est accusare quam defendere, quanto facere quam sanare vulnera facilius.* ² Plurimum autem refert, & quid protulerit adversarius, & quomodo. Primum igitur intuendum est, id cui responsuri sumus, proprium sit ejus judicii, an ad causam extra accersitum. Nam si est proprium: aut negandum aut defendendum, aut transferendum. extra hæc in judiciis fere nihil est. ³ *Deprecatio* quidem quæ est sine ulla specie defensionis, rara admodum & apud eos solos judices, qui nulla certa pronuntiandi forma tenentur: quanquam illæ quoque apud C. Cæsarem & triumviros pro diversarum partium hominibus actiones, etiam si precibus utuntur, adhibent tamen patrocina: nisi hoc non fortissime defendentis est, dicere, *Quid aliud egimus Tubero, nisi ut quod hic potest, nos possemus?* Quod si quando apud principem, aliumve cui utrum velit liceat, dicendum erit, ⁴ dignum quidem morte cum pro quo loquemur, clementia tamen servandum

¹ *Accusator criminum invidia.*] Accusator loci communibus in vitia, onerare solet rei personam: loci autem communes permultum valent ad suadendum, & inflammandum judicem: patronus autem vitium illud quod amplificatur, duntaxat negare potest aut diminuere. Hac igitur in re est longe inferior accusatore. *Idem.*

² *Plurimum autem refert.*] Docere incipit quibus rationibus debeamus refellere. videndum igitur primum an adversarii objectio propria sit causæ, an non propria: deinde qua sit usus elocutione in objectionibus & dispositione. hinc hujus capitis partes dependent. *Idem.*

³ *Deprecatio quidem.*] *Deprecatio* duplex est: nam quædam habet adjunctam defensionem, ut primum scilicet factum defendamus, deinde judicem deprecemur. ea possumus uti etiam apud judicem ordinariæ, eumque qui ex præscripto legum judicat. Altera est *deprecatio* cui defensio non adjungitur: qua duntaxat possumus uti apud eos qui liberam habent judicandi potestatem, nec legum vinculo astringuntur, ut *apud principem, apud populum, in senatu.* *Idem.*

⁴ *Dignum quidem morte, &c.*] *Locos deprecationis* Fabius pluribus explicat lib. 7. cap. de qualitate. *Idem.*

dum esse vel talem: primum omnium non erit res nobis cum adversario, sed cum iudice: deinde forma deliberativæ magis materiæ, quam judicialis utemur. Suadebimus enim ut laudem humanitatis potius quam voluptatem ultionis concupiscat. ¹ Apud iudices quidem secundum legem dicturos sententiam, de confessis præcipere ridiculum est. ² Ergo quæ neque negari neque transferri possunt, utique defendenda sunt, qualiacunque sunt: aut caussa cadendum. Negandi duplicem ostendimus formam: *aut non esse factum: aut non hoc esse, quod factum sit.* Quæ neque defendi neque transferri possunt, utique neganda: nec solum si finitio potest esse pro nobis, sed etiam si nuda inficiatio superest. ³ *Testes erunt?* multa in eos dicere licet. *Chirographum?* de similitudine literarum differendum. Utique nihil erit pejus quam confessio. Ultima est actionis controversia, cum defendendi negandive non est locus: translatio. Atqui quædam sunt quæ neque negari, neque defendi, neque transferri possunt. *Adulterii rea est,* ⁴ *quæ quum anno vidua fuisset, enixæ est.* lis non erit. Quare illud stultissime præcipitur, quod defendi non possit, silentio dissimulandum, si quidem est id de quo iudex pronunciaturus est. At si extra causam sit adductum, & tamen conjunctum, malim quidem dicere, nihil id ad quæstionem: nec esse in his morandum, & minus esse quam adversarius dicit: tamen velut huic simulationi oblivionis ignoscam. Debet enim bonus advocatus pro rei salute brevem negligentia reprehensionem non

per-

¹ *Apud iudices.]* Significat *deprecationem* nudam absque defensione apud iudices quibus, potestas non est iudicandi libera, locum non habere. *Idem.*

² *Ergo quæ neque.]* Ait factum non solum ita negandum esse si finitione uti possumus, sed sæpenumero *conjectura esse* utendum: est enim ea defensio firmissima. *Idem.*

³ *Testes erunt?] Est anthypophora: et enim aliquis objicere potest, vix conjecturæ locum esse, quia si factum negaremus,*

testes producerentur, & chirographa: hoc tamen non obest, quia locum habes communem ad refutationem testium & chirographorum. Idem.

⁴ *Quæ quum anno vidua fuisset.] Gellius tamen quandam matronam ait undecimo mense post mariti mortem esse enixam, Adrianumque imperatorem illam iudicasse non esse adulteram. Docet quoque Gellius mulieres parere duodecimo mense. *Idem.**

I Plura

perpescere. Videndum etiam, simul nobis plura aggredienda sint, an amolienda singula. ¹ Plura simul invadimus, si aut tam infirma sunt, ut pariter impelli possint: aut tam molesta, ut pedem conferre cum singulis non expediat. Tum enim toto corpore enitendum, & ut sic dixerim, directa fronte pugnandum est. ² Interim si resolvere ex parte diversa dicta difficilius erit, nostra argumenta cum adversariorum argumentis conferemus. si modo, hæc, ut valentiora videantur, effici poterit. Quæ vero turba valebunt, dilucenda erunt: ut quod paulo ante dixi: *Hæres eras, & pauper, & magna pecunia appellaberis à creditoribus, & offenderas, & mutaturum tabulas testamenti sciebas.* Urgent universa. At si singula quæque dissolveris, jam illa flamma quæ magna congerie convaluerat, diductis quibus alebatur, concidet: ut si vel maxima flumina in rivus diducantur qualibet transitum præbent. ³ Itaque propositio quoque secundum hanc utilitatem accommodabitur, ut ea nunc singula ostendamus, nunc complectamur universa. Nam interim quod pluribus collegit adversarius, fat est semel proponere: ut si multas causas faciendi quod arguit, reo dicet accusator fuisse: nos non enumeratis singulis, semel hoc intuendum negemus, quia non quisquis causam faciendi sceleris habuit, & fecerit. Sæpius tamen accusatori congerere argumenta, reo dissolvere expediet. Id autem quod erit ab adversario dictum, quomodo refutari debeat, intuen-

¹ *Plura simul invadimus, &c.*] Contrarium erat præceptum in *confirmatione*. nam argumentis firmis singulis insistendum erat. cæterum *impellere* dixit metaphorice pro *evertere*, ducta translatione à rebus non satis firmis, quas viribus impellere solemus & turbare. Quo & spectat proverbialis sententia sequens *detecta fronte pugnandum*. quod fieri solet, cum hostis omni impetu invaditur. *Idem.*

² *Interim si resolvere.*] Hanc refutationis speciem appellant per *compensationem*,

cum scilicet adversariorum argumenta non diluimus, sed potiora illis opponimus. *Idem. Si resolvere, &c.*] Utitur & hoc Rhetorum verbo Petron. Satyr. p. 132. vers. 10.

³ *Itaque propositio quoque.*] Cum aliquid refutare paramus, *propositione* id de quo dicturi sumus aperimus. proinde cum vel *singula* aggredimur, vel etiam *universa*, pro eorum ratione *propositionem* instituere debemus. hoc autem præceptum pertinet ad modum *refutandi*. Turnebus.

intuendum est. Nam si erit palam falsum, negare satis est: ut pro Cluentio Cicero, *eum quem dixerat accusator epotopoculo concidisse, negat eodem die mortuum.* ¹ Palam etiam contraria & supervacua & stulta reprehendere, nullius est artis: ideoque nec rationes eorum nec exempla tradere necesse est. ² Id quoque (*obscurum* vocant) quod secreto & sine teste aut argumento dicitur factum, satis natura sua infirmum est. Sufficit enim quod adversarius non probat. Item si ad causam non pertinet. Sed tamen interim oratoris est efficere, ut quid ³ aut contrarium esse, aut à causa diversum, aut incredibile, aut supervacuum, ⁴ aut nostræ potius causæ videatur esse conjunctum. *Objicitur Oppio, quod de militum cibariis detraxerit asperum crimen:* sed id contrarium ostendit Cicero, quia iidem accusatores objecerint Oppio quod is voluerit exercitum largiendo corrumpere. *Testes in Cornelium accusator lecti à tribuno codicis pollicetur:* facit ⁵ hoc Cicero supervacuum, quia idem fateatur ipse. *Petit accusationem in Verrem Quintus Cæcilius quod fuerat quaestor ejus:* ipsum Cicero ut pro se videretur effecit. ⁶ Cætera quæ proponun-

¹ *Palam etiam.] Cicero contrarium ab adverso separat, ut sit contrarium quod ita dicitur, ut iudicis factis repugnet, Adversum autem quod nostræ repugnet causæ. utrunque contrarii nomine complectitur Fabius. cæterum omnes hi loci apud Cic. habentur libro primo de Inventione. Idem. Palam contraria.] Videatur Scip. Gentilis Comment. in Apuleii Apolog. pag. 389.*

² *Id quoque.] Fab. cap. de Narratione, cum de falsa expositione loquebatur, tutam esse dicebat his in rebus mentiendi occasionem. Exemplum est apud Cic. 2. Philip. de literis Antonii, ubi ait, Atque etiam literas quas me sibi misisse diceret, recitavit homo & humanitatis expertus & vita communis ignarus, &c. Et paulo post, Si quid opponat tandem, si negem me unquam istas literas ad te misisse? quo me teste convinces? an chirographo, in quo habes scientiam quaestuosam? qui peccati sunt*

enim librarii manu. Jam in video magistro tuo, qui te tanta mercede quanta jam profervam, nihil sapere docuit. Quid est enim minus, non dico oratoris, sed hominis, quam objicere adversario, quod ille si verbo negarit, longius progredi non possit qui objecerit? Turneb.

³ *Aut contrarium.] Id autem facimus, cum capita quæ objecit, aut argumenta inter se conferimus, & aliquam criminis repugnantiam. Idem.*

⁴ *Aut nostræ potius causæ.] Hæc est refutandi ratio quæ appellatur ab Hermogene βλατορ, à Latinis violatio aut inversio: quod genus omnium est firmissimum. Idem.*

⁵ *Hoc Cicero.] In divinat.*

⁶ *Cætera quæ proponuntur.] Quæ superioribus generibus non refelluntur, in hos locos reduci possunt, atque ita solvi. cæterum locos communes idcirco appellat, propterea quod omnis objectio his*

ponuntur, communes locos habent. Aut enim *conjectura* excutiuntur, an vera sint: aut *fnitione*, an propria: aut *qualitate*, an inhonesta, iniqua, improba, inhumana, crudelia, & cætera quæ ei generi accidunt. Eaque non modo in propositionibus aut rationibus, sed in toto genere actionis intuenda. An sit crudelis, ut ¹ *Labiæni Rabirium lege perduellionis*: ² *Inhumana, ut Tuberonis Ligarium exulem accusantis, atque id agentis, ne ei Cæsar ignoscatur*. Superba, ut in *Oppium ex epistola Cortæ reum factum*. Proinde præcipites, insidiosæ, impotentes deprehenduntur. Ex quibus tamen fortissime invaseris, quod est aut omnibus periculosum, ut dicit Cicero pro Tullio, ³ *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum jure potuerit occidere, à quo metuisset se dicat ne ipse posterius occideretur?* Aut ipsis iudicibus, ut pro Oppio monet pluribus, ne illud actionis genus ⁴ in equestrem ordinem admittant. Nonnunquam tamen quædam bene contemnantur, vel tanquam levia, vel tanquam ad causam nihil pertinentia. ⁵ Multis hoc locis facit Cicero. Sed hæc simulatio interim hucusque procedit, ut quæ dicendo refutare non possumus, quasi ⁶ fastidiendo calcemus. ⁷ Quoniam vero

his generibus potest dilui, ut initio quoque dixit. Sunt igitur loci, ut pertinent ad *refellendum*. sunt quæstiones, ut pertinent ad *statum constituendum*. Turn.

¹ *Labiæni.*] Accusatus est à Labiæno Rabirius *perduellionis*, quod Saturninum seditiosum trib. plebis in turba interfecisset. *accusatio* autem *perduellionis* est, quando quis accusatur quod hostili animo in rempub. fuerit. Cic. in tota oratione pro Rabirio, Labiænum ut crudelē vexat, ejusque accusationem. *Idem.*

² *Inhumana, ut.*] *Si enim in exilio est, quid amplius postulatis? an ne ignoscatur?* & cætera quæ sequuntur. *Idem.*

³ *Quis hoc statuit.*] Non est idonea cædis ratio, si dicas, ideo te hominem jure interfecisse, quod timeres ne ab eo interficereris nisi hoc fecisses. *Idem.*

⁴ *In equestrem ordinem.*] Nam ex lege *Sempronia* quibusdam actionibus equites non tenebantur, ut Cicero ostendit pro Cluentio, equites lege corrupti iudicii accusari non potuisse. Porro quod sit illud actionis genus, ignoramus, cum desideretur oratio. *Idem.*

⁵ *Multis hoc locis facit Cicero.*] Ut pro *Calio*. docet enim totam illam accusationem levem esse, potiusque continere amoris *expostulationem*, quam criminis *insectationem*. *Idem.*

⁶ *Fastidiendo.*] *Contemptus* non solum in rebus levibus est, & nihil ad causam pertinentibus, sed in gravissimis quoque: cum data occasione à levibus auspiciati, ita procedimus ut gravia quoque pari fastidio contemnamus. *Idem.*

⁷ *Quoniam vero.*] Similitudinis exempli hoc

vero maxima pars eorum similibus constat, rimandum erit diligentissime, quid sit in quoque quod assumitur, dissimile. Id in jure facile deprehenditur. ¹ Est enim scriptum de rebus utique diversis, tantoque magis ipsarum rerum differentia potest esse manifesta. Illas vero similitudines quæ ducuntur ex mutis animalibus, aut inanimis, facile est eludere. Exempla rerum varie tractanda sunt, si nocent. quæ si vetera erunt, *fabulosa* dicere licebit: si indubia, maxime quidem *dissimilia*. Neque enim fieri potest, ut paria sint omnia: ut si *Nasica post occisum Gracchum defendatur exemplo Hale, à quo Melius est interfectus: Melium regni affectatorem fuisse, à Graccho leges modo latas esse populares: Halam magistrum equitum fuisse: Nasicam privatum esse* dicatur. ² Si defecerint omnia, tum videndum erit an obtineri possit, ne illud quidem recte factum. Quod de exemplis, idem etiam de judicatis observandum. Quod autem posui, referre, quo quicque modo accusator dixerit, huc pertinet, ut si est minus efficaciter elocutus, ipsa ejus verba ponantur: si acri & vehementi fuerit usus oratione, eandem rem nostris verbis mitioribus proferamus: ut Cicero pro Cornelio: *Codicem attigit, & protinus cum quadam defensione: ut si pro luxurioso dicendum sit, Objecta est populo liberalior vita.* ³ Sic & pro sordido parcum, pro maledico liberum dicere licebit. Utique nunquam committendum est, ut adversariorum dicta cum sua confirmatione referamus, aut etiam ⁴ loci alicujus

pli hoc loco *refutationem* docet, ut sequenti cap. argumentorum, id est, *epichrematis & enthymematis*: nec quo ordine antea proposuit, hæc tractat. *Confirmationem* eorum vide c. 10. & 11. Idem
¹ Est enim scriptum.] In jure cum adversarius *similitudine* utitur, *similitudinem* ab alia lege ducit: porro alia lex de alia quoque resciscit: proinde *dissimilitudo* est illic facillima. Idem.

² Si defecerint omnia.] Si non poterimus in exemplo *dissimilitudinem* ostendere, reliquum est ut ostendamus

iniquitatem, probemusque ne illud quidem quod in exemplum affertur, recte factum fuisse. Idem.

³ Sic & pro sordido.] Hæc defendendi ratio fit per nominum derivationem, quam mutuamur à vicinitate virtutum & vitiorum. de ea Fab. egit cap. de demonstrativo genere, lib. 3. Idem.

⁴ Loci alicujus.] Locum appellat uberiores aliqua de re disputationem, aut adeo *amplificationem*. sequitur autem hujus rei exemplum. Idem. Loci alicujus executione.] Alii, *Loci alicujus executionem*.

I Apud

cujus executione adjuvemus, nisi cum eludenda: ¹ Apud exercitum mihi fueris, inquit: tot annis forum non attigeris: abfueris tandiu: & cum tam longo intervallo veneris, cum iis qui in foro habitaverint, de dignitate contendas? ² Præterea in contradictionibus interim totum crimen exponitur: ut Cicero pro Scauro contra Bostarem facit, velut orationem diversæ partis imitatus. Aut pluribus propositionibus junctis: ut pro Vareno, *Cum iter per agros & loca sola faceret cum Populeno, in familiam Ancharianam incidisse dixerunt: deinde Populenum occisum esse: illico Varenum vinctum adservatum, dum hic ostenderet quid de eo fieri vellet.* Quod est utique faciendum, si erit incredibilis rei ordo, & ipsa expositione fidem perditurus. ³ Interim per partes dissolvitur, quod contextu nocet: & plerunque id est tutius. Quædam contradictiones natura sunt singulæ. id exemplis non eget. ⁴ *Communia* bene apprehenduntur, non tantum quia utriusque sunt partis, sed quia plus profunt respondententi. ⁵ Neque enim pigebit, quod sæpe monui, referre. Commune qui prior dicit, contrarium facit. Est enim contrarium, quo adversarius bene uti potest. *At enim non verisimile est tantum scelus M. Cottam esse commentum. Quid? hoc veri-*

¹ *Apud exercitum.*] Cic. locum quo utebatur Servius Sulpitius retulit colludendo. conquerebatur ille quod *Muræna* qui tandiu bello Mithridatico fuisset in exercitu, reversus statim consulatum adeptus esset, cum ipse esset repulsus cum semper in Repub. mansisset. *Idem.*

² *Præterea in contradictionibus.*] *Contradictionem*, quam *Æschines* appellat *antibresin*, vocat *Fab.* cum id quod ab adversario dici contra nos poterit, occupamus ac dissolvimus: at certe hæc de contradictione intelligi nullo modo videtur. cumque in aliis codicibus, de contradictionibus legatur, hoc apparet in margine notatum fuisse, postea per imperitiam in contextum irrepsisse. *Idem.*

³ *Interim per partes.*] Qui modus tamèn est adhibendus maxime, quum id,

quod est ab adversario, hujusmodi est, ut una pars alteram confirmare videatur. Quare si *complexione* quadam aut *complicatione* partium insolubilis obiectio adversarii videatur, unumquodque per se considerandum refutandumque venit. *Idem.*

⁴ *Communia bene.*] *Communia* appellantur quæ non magis pro adversario faciunt quam pro nobis: ut, *quia causam optimam habebam, idcirco Judices breviter peroravi.* *Idem.*

⁵ *Neque enim pigebit.*] Pessime accusator facit, si quod commune est prior ipse arripit. Festive igitur potest à defensore reprehendi, quoniam quod antea commune erat, postquam vendicavit sibi tanquam proprium, id ipsum fecit sibi contrarium. *Idem.*

¶ *Artificis*

verisimile est tantum scelus Oppium esse conatum? ¹ Artificis autem est invenire in actione adversarii, quæ inter semet ipsa pugnent, aut pugnare videantur: quæ aliquando ex rebus ipsis manifesta sunt: ut in causa Cæliana: Clodia aurum se Cælio commodasse dicit, quod signum magnæ familiaritatis est: venenum sibi paratum, quod summi odii argumentum est. ² Tubero Ligarium accusat, quod is in Africa fuerit: & quaritur quod ab eo ipse in Africam non sit admissus. Aliquando vero præbet ejus rei occasionem minus considerata ex adverso dicentis oratio: ³ quod accidit præcipue cupidis sententiarum, ut ducti occasione dicendi non respiciant quid dixerint, dum locum præsentem non totam causam intuentur. Quid tam, videri potest contra Cluentium, quam censoria nota? Quid tam contra eundem quam filium ab Egnatio corrupti iudicii quo Cluentius Oppianicum circumvenisset, crimine exheredatum? At hæc Cicero pugnare invicem ostendit. ⁴ Sed tu Acci consideres censeo diligenter, utrum censorium iudicium grave velis esse, an Egnatii. Si Egnatii leve est quod censores de cæteris ⁵ subscripserunt. Ipsum enim Egnatium quem tu gravem esse vis, ex senatu ejecerunt. Sin autem censorium hunc ipsum Egnatium quem pater censoria subscriptione exheredavit, censores in senatu, cum patrem ejicerent: retinuerunt. ⁶ Illa magis vitiose dicuntur,

¹ Artificis autem.] Hoc præceptum antea posuisse videtur Fabius: nisi forte superiora dicas contrarietatem habere per se, hæc autem ex consecutione. Idem. Artificis autem est invenire, &c.] Videatur Scip. Gentilis Comment. ad Apul. Apolog. p. 390. 509.

² Tubero Ligarium accusat.] Ligarius accusabatur quod in Africa fuisset adversus Cæsarem: quam accusationem in adversarium retorquet Cic. qui in Africam adversus Cæsarem ire voluerit, nec à Ligario admissus sit. Turn.

³ Quod accidit præcipue, &c.] Fabii tempore quibusdam nullus erat sententiarum modus. fieri autem solet ut ab

illis qui ita sententiis delectantur, quædam dicantur, quæ seorsum blandiantur, non tamen in summam causam consentiant. Idem.

⁴ Sed tu acci.] Argumentatio est ex remotione, proposita duorum necessitate, quæ dilemma efficit. qua de re Fab. in c. de argumentis. Idem.

⁵ Subscripserunt.] Subscribere significat adscriptionem testari aliquem esse infamem: hinc subscriptiones Censorum dicuntur Censoria notæ. Idem.

⁶ Illa magis.] Dubium est argumentum quod est ambiguum & dubitabile. Illud igitur necessario rem non probavit, imo ne probabit quidem. Controversum est, cum

cuntur, quam acute reprehenduntur, *argumentum dubium* pro necessario, *controversum* pro confesso, ¹ *commune* pro proprio, ² *vulgare*, ³ *supervacuum*, ⁴ *constitutum* contra fidem. Nam & illa accidunt parum cautis, ut crimen au-geant, quod probandum est: de facto disputent, ⁵ cum de auctore quærat: impossibilia aggrediantur, pro effectis relinquunt vixdum inchoata: de homine dicere quam de causa malint: hominum vitam rebus assignent: ut si quis ⁶ *decemviratum* accuset, non Appium, manifestis repugnent: dicant quod aliter accipi possit: summam quæstionis non intueantur: non ad proposita respondeant: ⁷ quod unum aliquando recipi potest, cum mala causa adhibitis extrinsecus remediis tuenda est, ⁸ *ut cum peculatus reus Verres, fortiter & industrie tuitus contra piratas Siciliam dicitur.*

⁹ Eadem adversus contradictiones nobis oppositas præcepta

cum id quo aliquid probatur, inter utranque partem habet controversiam. *Confissum*, perspicuum, ut ait Cicero. *Idem.*

¹ *Commune pluribus.*] Ut si eadem ab hoc diceret factam, quia mortuum odisset, cujus permulti essent inimici. *Idem.*

² *Vulgare.*] *Vulgare* quod in aliam rem quoque non probabilem, si hic locum habeat, sit valiturum. *Idem.*

³ *Supervacuum.*] *Leve*, ut ait Cicero. *Idem.*

⁴ *Serius constitutum.*] Videtur argumentum esse *serius constitutum*, quo adversarius opportuno & suo loco non est usus, sed alieno: itaque facile est refutatu. *Idem.*

⁵ *Cum de auctore quærat.*] Ut in conjecturali statu, cum de facto constet, sit autem controversia de auctore facti, de eo disceptandum est, non de facto. *Idem.*

⁶ *Decemviratum.*] *Decemviri* creati sunt absolutæ potestatis, ut jus civile Romæ conderent. ex his Appius cum virginem quam deperibat, in servitutem asserere vellet ut ea frueretur, pater cultro eam interfecit, coactique sunt *Decemviri* se

magistratu abdicare. *Idem.*

⁷ *Quod unum.*] Aliquando utile est ad proposita non respondere, quando factum quod nobis objicitur, per se tueri non possumus, sed *assumptiva qualitate* defendimus. Ut ille apud Pacuvium, qui vituperat muscam, laudat sapientiam. Cujusmodi fecit & D. noster, si in humodi re in testem vocari patitur, in adultera deprehensa dimittenda contra legem, *Qui sine peccato, primus jacet in eam lapidem.* Id & Cic. pro Cælio fecit, cum amolitur suspicionem veneni dati à Cælio, quod domi habuisset, & in servo expertum esset, digrediens ad mortem Q. Metelli, suspicionem facit Clodii scelere sublatum veneno fuisse: ipsam mortem gemitu & lachrymis prosequitur, simulque reprimit adversarios, veluti simili ictos crimine, simul impetu dictionis & affectu mentem judicum ad hujus criminis cognitionem divertit.

⁸ *Ut cum, &c.*] *Actio 7.*

⁹ *Eadem adversus.*] In his allegationibus quibus nostræ causæ adjumentis adversarius contradicit, suamque causam defendit, idem spectandum est. quibus de rebus antea egit. *Turneb.*

D d

I Etiam

pta sunt: hoc tamen amplius, quod circa eas multi duobus vitiis diversis laborant. Nam quidam ¹etiam in foro tanquam rem molestam & odiosam prætereunt: & iis plerunque quæ composita domo attulerunt, contenti, sine adversario dicunt: & scilicet multo magis in scholis, in quibus non solum contradictiones omittuntur, ²verum etiam materiæ ipsæ sic plerunque finguntur, ut nihil dici pro parte altera possit. Alii diligentia lapsi, verbis etiam vel sententiolis omnibus respondendum putant quod est & infinitum, & supervacuum. non enim causa reprehenditur, sed actor: quem ego semper videri malim sic disertum, ut si dixerit quod rei profit, ingenii credatur laus esse, non causæ: si forte quod lædat, causæ, non ingenii culpa. ³Itaque illæ reprehensiones, aut obscuritatis, qualis *in Rullum* est: aut infantia in dicendo, qualis ⁴*in Pisonem*: aut inscitia rerum verborumque, & insulstatis etiam, qualis ⁵*in Antonium* est, ⁶animo dantur, ut iustis odiis: suntque utiles ad conciliandum iis quos invisos facere volueris, odium. ⁷Alia respondendi patroni ratio: & aliquando tamen eorum non oratio modo, sed *vita* etiam, *vultus* denique, *incessus*, *habitus* recte inculari solet: ut adversus Quintium ⁸Cicero, non *hæc solum, sed ipsam etiam* ⁹*prætextam demissam ad talos, insectatus*

¹ *Etiam.*] Alii, &c.

² *Verum etiam materia.*] Hoc thema ab Hermogene *inconsistens* ponitur, ac *μνομοσπές* nuncupatur, quando duntaxat ab altera parte causa probabilitatem habet. tamen quanquam hoc thema non cadit in *forum*, tractatur in *declamatione*. Idem.

³ *Itaque illæ reprehensiones.*] Cic. *Rullum* reprehendit quod in concione frequentissima ita orasset, ut quid sibi vellet nemo intelligeret. Idem.

⁴ *In Pif.*] Cujus stuporem ingenii linguæque debilitatem Cic. notat. Idem.

⁵ *In Antonium.*] Tertia Philippica reprehendit Antonium quod dixisset in edicto, *nulla est contumelia quam facit di-*

gnus. insulstatem taxat 2. Philip. cum literas protulit. Idem.

⁶ *Animo dantur, &c.*] Alii, *Accommodantur iustis od.*

⁷ *Alia respondendi.*] Antea dixit *minime esse actori convitiandum*, est tamen interdum patrono convitiandum, quemadmodum Cic. Quintium trib. pl. qui Oppianici condemnati patronus fuerat, ac concionibus populum Cluentio insectum faciebat, insectatur. Turneb.

⁸ *Cicero.*] Pro Cluent.

⁹ *Prætextam.*] Cic. *purpuram* appellat pro Cluentio: ac certe *prætexta* purpureo limbo prætebatur, eratque magistratum vestis, & honores gerentium. Turneb.

status est. *Presserat enim turbulentis concionibus Cluentium Quintus.* Nonnunquam elevandæ invidiæ gratia, quæ asperius dicta sunt, eluduntur: ut à Cicerone Triarius. ¹ Nam cum Scauri columnas per urbem plaustris vectas esse ² dixit, *Ego porro inquit,* ³ *qui Albanas habeo columnas, clitellis eas apportavi.* Et magis hoc in accusatores concessum est, quibus convitari aliquando patrocini fides cogit. Illa vero adversus omnes & recepta, & non inhumana conquestio, si calide quid ⁴ tacuisse, breviasse, obscurasse, distulisse dicuntur. ⁵ Defensionis quoque permutatio reprehenditur sæpe, ut Accius *adversus Cluentium*, Æschines *adversus Ctesiphonem* facit: cum ille Ciceronem lege usurum modo, ⁶ hic minime de lege dicturum Demosthenem queritur. Declamatores vero in primis sunt admonendi, ne contradictiones eas ponant, quibus facillime responderi possit: ⁷ neu sibi stultum adversarium fingant. Facimus autem, quod maxime uberes loci, popularesque sententiæ nascuntur, materiam dicendi nobis quod volumus ducentibus: ut non sit inutilis ille versus, ⁸ *Non male respondit, male enim prior ille*

¹ *Nam cum Scauri.]* Locum sæpenu-
mero habent in refutatione *joci opportu-
ni*, de quibus ager Fab. lib. 6. Caterum
Scaurus in atrio ædium suarum permul-
tas habuit columnas quinquagenum pe-
dum *ex marmore Lucullæo*. illa autem
luxuria Romanis legibus puniebatur.
Idem.

² *Dixit.]* *Dixisset.* Pithœus.

³ *Qui Albanas habeo columnas.]* *Al-
banæ columna* dicuntur, quæ ex Albano
lapide fiunt. sunt enim *Albanæ lapici-
dine* ad montem Albanum. est autem
hic lapis marmore vilior: quamobrem
apparet illas quoque columnas ingentif-
simas fuisse. *Idem.*

⁴ *Tacuisse.]* *Acuisse* habent omnes
cod. veteres, & item Vallæ scriptus, in
quem locum notarat, ut quando De-
mosthenes interrogavit auditores, an
Æschines esset Alexandri *μιάωνος*,
pro *μιάωνός*. *Idem.*

⁵ *Defensionis quoque.]* Appellat Fab.
defensionis permutationem, quando defen-
sor non illud iudicium aut illam actio-
nem sequitur qua ab accusatore premi-
tur: ut cum Accius accusaret *Cluentium*
corrupti iudicii, suspicabatur Cicero-
nem usurum defensione legis, qua tu-
tus erat *Cluentius*. *Idem.*

⁶ *Hic minime de lege.]* Nam accusatus
est ab Æschine *Ctesiphonem*, quod *Demo-
sthenem*, qui rationes non reddiderat, co-
rona donasset contra legem. *Idem.*

⁷ *Neu sibi stultum.]* Declamator si con-
tradictiones sibi proponat, acriter in-
tueatur quod fortissimum habeat adju-
mentum adversarius ad contradicen-
dum, non autem contradictiones sibi
solutu faciles proponat. *Idem.*

⁸ *Non male.]* Versus est proverbialis,
quo significamus *non esse difficile malæ
interrogationi bene respondere*: quemad-
modum non est etiam difficile, ineptæ
contra-

ille rogatur. Fallet hæc nos in foro consuetudo, ubi adversario, non ipsi nobis respondebimus. Ajunt Accium interrogatum cur causas non ageret, cum apud eum in tragœdiis tanta vis esset: hanc reddidisse rationem, quod illic ea dicerentur quæ ipse vellet, in foro dicturi adversarii essent quæ minime vellet. ¹ Ridiculum est ergo in exercitationibus quæ foro præparantur, prius cogitare quid responderi, quam quid ex diverso dici possit. Et bonus præceptor non minus laudare discipulum debet si quid pro diversa, quam si quid pro sua parte acriter excogitarit. ² Rursus ³ aliquid in scholis permittendum semper, in foro raro. Nam loco à petitore primo contradictione uti qui possumus, ubi vera res agitur, cum adversarius adhuc nihil dixerit? Incidunt tamen plerique in hoc vitium vel consuetudine declamatoria, vel etiam cupiditate dicendi: dantque de se respondentibus venustissimos lusos, cum modo se vero nihil dixisse, neque tam stulte dicturos: modo bene admonitos ab adversario, & agere gratias, quod adjuti sint, jocantur, frequentissime vero, id quod firmissimum est, nunquam iis responsurum adversarium fuisse, quæ proposita non essent, nisi illa sciret vera esse, & ad fatendum conscientia esset impulsus: ut pro Cluentio Cicero, *Nam hoc persæpe dixisti, tibi sic renunciari, me habere in animo causam hanc præsidio legis defendere. itane est? ab amicis imprudentes videlicet prodimur? & est nescio quis de iis quos amicos nobis arbitramur, qui nostra consilia ad adversarium deferat? Quisnam hoc tibi renunciavit? quis*

tam

contradictioni bene respondere. *Idem. Non male respondit, &c.]* Homer. Iliad. v. vs. 250. *Ὅπποῖόν κ' εἴπῃθ' ἔπ' ὅτιόν κ' ἐπικρίσσει.* Pith.

¹ *Ridiculum.]* Ineptum est in declamationibus captare occasionem boni responsi ex infirma contradictione, cum potius in contradictionibus intueri debeamus quod sit firmissimum adversarii adjumentum. Itaque bonus orator non

tam quid ipse dicturus sit, quam quid adversarius, examinat. *Turneb.*

² *Rursus.]* Liberior esse debet contradictionum ratio in declamationibus quam in causis forensibus. si enim petitor in foro primum dicat, contradictione uti non poterit, quia ignorat quibus adjumentis seipsum sit defensurus adversarius: declamator tamen in pari thematicè contradictionem fingere poterit. *Idem.*

³ *Aliquid.]* Alii, *illud.*

I Pibius

tam improbus fuit? cui ego autem narravi? Nemo (ut opinor) in culpa est. nimirum tibi istud lex ipsa renunciavit. At quidam contradictione non contenti, totos etiam locos explicant, Scire se hoc dicturos adversarios, & ita persecuturos. Quod factum venuste nostris temporibus elusit Vibius, Crispus, vir ingenii jucundi & elegantis: Ego vero, inquit, ista non dico. quid enim attinet illa bis dici? ² Nonnunquam tamen aliquid simile contradictioni poni potest, si quid ab adversario testationibus comprehensum, in advocationibus jactatum sit. Respondebimus enim rei ab illis dictæ, non à nobis excogitatæ; ³ aut si id genus erit causæ, ut proponere possimus certa, extra quæ dici nihil possit: ut cum res furtiva in domo deprehensa sit, dicat necesse est reus, aut se ignorante illatam, aut depositam apud se, aut donatam sibi. quibus omnibus etiam si proposita non sint, responderi potest. ⁴ At in scholis recte & contradictionibus occuremus, ut in utrunque locum, id est primum & secundum, simul exerceamur. hoc nisi fecerimus, nunquam utemur contradictione. non enim erit cui respondeamus. Est & illud vitium, nimium solliciti, & circa omnia momenta luctantis. Suspectam enim facit judici causam, & frequenter quæ statim dicta omnem dubitationem sustulissent, dilata, ipsis præparationibus fidem perdunt, quia patronus & alius crediderit

¹ Vibius Crispus.] Eiusdem est illud de Domitiano: ne musca quidem. Sueton. lib. XII. Pith.

² Nonnunquam tamen.] Limitatio est superioris præcepti: nam loco à petitorum primo contradictione uti possumus, si ante primam actionem testimonia produxerit adversarius, aut in advocationibus aliquid dixerit. Cæterum appellat testationes Fab. aut testimonia absentium, ut supra, aut generaliter quæcumque testimonia: Advocationes vero, patronorum & amicorum consultationes. Turneb.

³ Aut si id genus.] Etiam contradictione primo loco poterimus uti, cum

res de qua est controversia cadet duntaxat in certa membra. tum enim remotione uti poterimus, atque ita contradictiones solvere. Idem.

⁴ At in scholis.] Major est libertas in declamationibus quam in causis forensibus. itaque illic actor potest probationibus adversarii & contradictionibus respondere. sic enim exercebitur duplici refutandi genere, tum in probationibus, tum in contradictionibus, aut exercebitur in primum & secundum locum, quia fungetur actoris partibus & partibus respondentis, cum occurrerit contradictionibus. Idem.

diderit opus fuisse. ¹ Fiduciam igitur orator præ se ferat, semperque ita dicat, tanquam de causa optime sentiat. ² Quod (sicut omnia) in Cicerone præcipuum est. Nam illa summa cura securitatis est similis, tantaque in oratione auctoritas, ut probationis locum obtineat, dubitare nobis non audentibus. ³ Porro qui scierit quid pars adversa, quid nostra habeat valentissimum, facile iudicabit quibus maxime rebus vel occurrendum sit, vel instandum. Ordo quidem in parte nulla minus affert laboris. Nam si agimus, nostra confirmanda sunt primum: tum quæ nostris opponuntur, refutanda. ⁴ Si respondemus, prius incipiendum est à refutatione. ⁵ Nascuntur autem ex his quæ contradictioni opposuimus, ⁶ aliæ contradictiones, euntque interim longius: ⁷ ut gladiatorum manus quæ secunda vocantur sunt & tertia, si prima ad evocandum adversarii ictum prolata erat: & quarta, si geminata captatio est, ut bis cavere, bis repetere oportuerit. Quæ ratio & ultra ducit. ⁸ Sed illa etiam quam supra ostendi, simpli-

¹ *Fiduciam igitur.*] Idem de fiducia præcipit Fab. lib. 11. ea tamen temperanda est: nam lib. 4. dixit fiduciam non debere se nimium exerere. *Idem.*

² *Quod (sicut omnia).*] Ut pro Roscio Amerino, *Multa sunt falsa Iudices, quæ tamen argui suspiciose possent. in his rebus si suspicio reperta fuerit, culpam inesse concedemus.* & per totam fere orationem in hoc elaborat, ut innocentiam Roscii suo periculo defendat. Quod & in aliis orationibus facit, perinde ac ei causa semper maxime cognita sit, deque ejus æquitate nequaquam dubitet. *Idem.*

³ *Porro qui.*] Hoc præceptum scopum continet confirmationis & refutationis, quod enim firmissimum habemus, illo maxime est nitendum: quod adversarius valentissimum, illud maxime refutandum. *Idem.*

⁴ *Si respondemus.*] Itaque in anticategoria utrinque prius est refutandum, postea confirmandum. prius est enim ut nos purgemus, deinde nostra confirmemus. *Idem.*

⁵ *Nascuntur autem.*] Cum adversarii contradictionem rationibus & firmamentis solvimus, interdum ex illis contradictionibus potest alia contradictio oriri, quæ solvenda est quoque. *Idem.*

⁶ *Aliæ contradictiones.*] Quas triplex appellationes consulti appellant. *Pub.*

⁷ *Ut gladiatorum manus.*] Hermolaus in septimum Plinii, appellat *secundas & tertias manus*, quando paria gladiatorum aliis paribus succedunt. unde à Plinio appellantur quidam *gladiatores secundarii & tertiarum*. Budæus tamen *manuum* interpretatur *ictum & petitionem*: atque ita videtur intelligere Fabius. nam lib. 9. ait *reclam & simplicem manuum* facilius vitari, quam *aversam*. *Turneb.*

⁸ *Sed illa etiam.*] Morales probationes locum etiam habent in refutatione, quemadmodum in confirmatione, fiuntque vel per affirmationem, vel per negationem, cum non probatione, sed morum fiducia nitimur. *Idem.*

I Nam

simplicem ex affectibus atque ex affirmatione sola probationem recipit refutatio; qualis est illa Scauri, de qua supra dixi: quin nescio an etiam frequentior, ubi quid negatur. Videndum præcipue utrique parti, ubi sit rei summa. ¹ Nam fere accidit ut in causis multa dicantur, de paucis judicetur. In his probandi refutandique ratio est, sed adjuvanda viribus dicentis, & adornanda. Quamlibet enim sint ad dicendum quod volumus accommodata, tamen erunt infirma, nisi majore quodam oratoris spiritu impleantur. ² Quare & illi communes loci *de testibus, de tabulis, de argumentis*, aliisque similibus, magnam vim animis judicum afferunt, & hi proprii, quibus factum quoque laudamus, aut contra, justum vel injustum docemus, majus, aut minus, asperius aut mitius. Ex his autem alii ad comparisonem singulorum argumentorum faciunt, alii ad plurius, alii ad totius causæ inclinationem. Ex quibus sunt qui præparent animum judicis, sunt qui confirmant. Sed præparatio quoque aut confirmatio, aliquando totius causæ est, aliquando partium, & perinde ut cuique conveniunt, subjicienda. ³ Ideoque miror inter duos diversarum sectarum velut duces non mediocri contentione quæsitum, singulisne quæstionibus subjiciendi essent loci, ut Theodoro placet: an prius docendus judex quam movendus, ut præci-

¹ Nam fere accidit.] Quanquam interdum causa unicam habet quæstionem summam, de qua judicare oportet, varie tamen definitur, & multis quæstionibus adjuvatur: tamen summam quæstionem semper respicere oportet in confirmando & refutando. Idem.

² Quare & illi communes.] Tractatio locorum multum facit ad confirmationem argumentorum atque causarum. sed loci sunt duplices: communes, qui inartificiales dicuntur: proprii, qui à rerum circumstantiis aut personarum ducuntur ad exornationem, vituperationem, amplificationem, diminutionem. Cornificius tamen proprios appellat locos, quibus altera

pars utitur, ut proprius est locus accusatoris, iracundiam movere, rei misericordiam. Idem.

³ Ideoque miror.] Theodorus existimabat singularum quæstionum tractationi singulos esse subjiciendos locos ad amplificandum & confirmandum: Apollodorus vero omnibus tractatis quæstionibus locum esse subjiciendum existimabat. utrumque reprehendit Fabius, aitque interdum faciendum esse quod præcipit Theodorus, interdum quod præcipit Apollodorus: adeoque locis utendum esse interdum ad præparationem, interdum ad confirmationem. Idem.

præcipit Apollodorus: tanquam perierit hæc ratio media, & nihil cum ipsius causæ utilitate sit deliberandum. Hæc præcipiunt qui ipsi non dicunt in foro: ut ¹ acies à securis otiosisque compositæ, ipsa pugnæ necessitate turbentur. ² Namque omnes fere qui legem dicendi quasi quædam mysteria tradiderunt, certis ³ non inveniendorum modo argumentorum locis, sed concludendorum quoque nos præceptis alligaverunt: de quibus brevissime prælocutus, quid ipse sentiam, id est quid clarissimos oratores fecisse videam, non tacebo.

¹ *Acies.*] Alii, *Artes.*

² *Namque omnes.*] Fabius existimat majorem esse libertatem in arte dicendi, quam ut necessariis alliganda sit præceptis. itaque sæpenumero antea dixit, *utilitate* quæcunque præcepta mutari, cum ipsa præcepta *utilitatis* causa sint

reperita. *Idem.*

³ *Non inveniendorum modo, &c.*] *Argumenta* primum inveniuntur ad faciendam fidem, deinde in formam quandam argumentationis effinguntur, ut optime concludant. Itaque alterum *inventionis* est, alterum *iudicii*. *Idem.*

C A P. XIV.

Quid enthymema, & quotuplex: quibus constet epicherema, & quomodo refellatur.

14 **I**gitur enthymema, & ¹ *argumentum* ipsum, id est rem quæ probationi alterius adhibetur, appellant, & argumenti elocutionem. ² Eam vero dixi duplicem. Ex consequentibus, quod habet propositionem, conjunctamque ei protinus probationem: quale pro Ligario, *Causa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari posset: nunc melior ea certe*

Hoc caput pertinere videtur magna ex parte ad *judicium*. nam de partibus argumentationis loquitur, quoque pacto *epicherema* refutetur: quod ad refutationem quoque spectat. nec enim solum refellimus adversariorum *contradictiones* & rationes, verum etiam *argumentationes* male conclusas. *Turnebus.*

¹ *Argumentum ipsum.*] Boëth. in *Top.* Vis sententiæ ratioque ea qua clauditur oratio cum aliquid probatur am-

biguum, *argumentum* vocatur. Ipsa argumenti elocutio, *argumentatio* dicitur. *Pithæus.*

² *Eam vero.*] *Enthymema* Fabio, ut est argumentatio, significat conclusionem à consequentibus & pugnantibus: Arist. vero significat *omnem syllogismum imperfectum*. ceterum hoc exemplum potius ab eventis videtur esse quam à consequentibus. atque adeo Fab. cap. de exemplis, *argumentum* esse dixit à deorum auctoritate. *Turneb.*

¹ *Habet*

ea certe judicanda est, quam etiam dii adjuverunt. ¹Habet enim propositionem probationemque, non habet conclusionem. Ita est ille imperfectus syllogismus. Ex pugnantis vero, quod etiam solum *enthymema* quidam vocant, fortior multo probatio est. Tale est Ciceronis pro Milone, *Ejus igitur mortis sedetis ultores, cujus vitam si putetis per vos restitui posse, nolitis.* Quod quidem etiam aliquando multiplicari solet ut est ab eodem & pro eodem reo factum, *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune, non est ausus, hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitavit occidere?* Optimum autem videtur enthymematis genus, cum proposito dissimili vel contrario ratio subjungitur: ²quale est Demosthenis, *Non enim si quid unquam contra leges factum est, idque tu es imitatus, idcirco te convenit poena liberari: quin e contrario damnari multo magis.* Nam ut si quis eorum damnatus esset, tu haec non scripsisses: ita damnatus tu si fueris, non scribet alius. ³Epicherematos & quatuor & quinque, & sex etiam factae sunt partes à quibusdam ⁴Cicero maxime quinque defendit, ut sit *propositio*, deinde *ratio* ejus, tum *assumptio*, & ejus *probatio*, quinta *complexio*: quia vero interim & propositio non egeat rationis, & assumptio probationis, ⁵non nun-

¹ Habet enim.] Tametsi Fab. dicat *enthymema* à consequentibus non habere conclusionem, sed propositionem cum ratione, recentiores tamen nullum putant esse *enthymema* quod non habeat conclusionem, cum nihil aliud sit *enthymema* quam syllogismus mutilatus, ubi festinata conclusio colligitur ommissa propositione aut assumptione. Itaque *enthymema* à consequentibus non proprie erit *enthymema*. Idem.

² Quale est Demosthenis.] Exemplum hoc sumptum est ex oratione Demosth. contra *Androtionem*, qui decretum tulerat contra consuetudinem & leges, se tamen aliorum exemplo tuebatur. ceterum annotandum est Fabium scribere *usurpassi* pro decretum facere, seiscere,

decernere, more Græcorum, qui *ἀποφειν* sic usurpant. Ita usurpavit Cic. quoque de optimo genere oratorum. Idem.

³ Epicherematos.] Fab. multas opiniones de partibus *Epicherematis* ponit, deum ex Arist. opinione colligit, physica quasi, tres ejus esse partes necessarias, *propositionem*, *assumptionem*, & *complexionem*. Id enim de quo quaeritur, in propositione, quam dialectici *majorem* vocant, comprehenditur. Id per quod probatur, appellatur *assumptio* vel *minor*: denique id quod colligitur ex utraque parte, *conclusio* sive *connexio*. Idem.

⁴ Cicero.] De inven. lib.

⁵ Nonnunquam etiam *complexione* opus non sit.] Si *epicheremati* deerit *complexio*,

Dd 5 non

nunquam etiam complexione opus non fit, & quadripartitam, & tripartitam, & bipartitam quoque fieri posse rationationem. Mihi & plurimis nihilo minus auctoribus tres summum videntur. Nam ita se habet natura, ¹ ut sit de quo quaeratur, ² & per quod probetur: tertium adjici potest velut ex consensu duorum antecedentium. Ita erit prima *intentio*, secunda *assumptio*, tertia *connexio*. Nam confirmatio primæ, ³ ac secundæ partis exornatio, eisdem cedere possunt, quibus subjiciuntur. Sumamus autem ex ⁴ Cicerone quinque partium exemplum. *Melius gubernantur ea quæ consilio reguntur, quam quæ sine consilio administrantur.* Hanc primam partem numerant: eam deinceps rationibus variis, & quam copiosissimis verbis approbari putant oportere. Hoc ego totum cum sua ratione, unum puto: alioqui si ratio pars est, est autem varia ratio, plures partes esse dicantur. Assumptionem deinde ponit. *Nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur.* Hujus assumptionis quarto in loco aliam porro inducunt probationem, de quo idem quod supra dico. Quinto inducunt loco complexionem, ⁵ quæ aut id infert solum, quod ex omnibus partibus

non amplius *epichere*ma erit, sed *enthymema*, secundum Arist. nec tamen proterius Fabio, nisi sit à consequentibus & repugnantibus. Turneb.

¹ *Ut sit de quo quaeratur.*] Ita appellat *propositionem argumentationis*, propterea quod argumentationis summam de qua quaeritur explicat. forte etiam respexit ad oratores, qui id de quo quaeritur proponere solent cum probare volunt. ac hujusmodi formulam argumentandi Fab. subjicit: ut, *anima est immortalis.* Idem.

² *Et per quod probetur.*] Fabius videtur per id quod probat, duas illas complecti *propositiones*, quæ propositioni de qua quaeritur subjiciuntur: ac videtur has præceptiones ad illam potissimum argumentandi formam aptasse. Aliter autem sentiendum, cum id de quo quaeritur

ritur non proponitur, sed statim summa argumentationis aperitur, cui *assumptio* subnectitur. Idem.

³ *Ac secundæ partis exornatio.*] Plerunque *assumptioni* loco probationis subjungitur *exornatio* sive *expositio*, quæ est idonea oratio ad locupletandum & augendum. alii certam quoque faciunt speciem argumentationis, ex *propositione*, *ratione*, *rationis confirmatione*, *expositione*: eamque appellant *collectionem*. Idem.

⁴ Cicerone.] Rhetor. 2.

⁵ *Quæ aut id infert solum.*] Duplex est in *epichere*mate concludendi ratio: altera simplex & directa, ut prior: altera veluti more *epilogi*: quæ si seorsum consideretur, efficit eam argumentationem quam appellant *simplicem conclusionem*. Turneb.

partibus cogitur, hoc modo, *Consilio igitur mundus administratur.* aut unum in locum cum conduxerit breviter propositionem & assumptionem, adjungit quid ex his conficiatur, ad hunc modum, *Quod si melius geruntur quæ consilio, quam quæ sine consilio administrantur: nihil autem omnium rerum melius quam omnis mundus administratur: consilio igitur mundus administratur.* Cui parti consentio. In tribus autem quas fecimus partibus, non est forma semper eadem, sed una, ¹ in qua idem concluditur quod intenditur. *Anima immortalis est.* ² Nam quicquid ex seipso movetur, immortale est: anima autem ex seipsa movetur, immortalis igitur est anima. ³ Hoc fit non solum in singulis argumentis, sed in totis causis quæ sunt simplices, & in quæstionibus. Nam & hæ primam habent propositionem, *Sacrilegium commisisti, hominem occidisti. Non quisquis hominem occidit, cadis reus tenetur.* Deinde rationem. Sed hæc est in causis & quæstionibus longior, quam in singulis argumentis. ⁴ Et plerunque summa complexione, vel per ⁵ enumerationem, vel per brevem conclusionem testantur quid effecerint. In hoc genere propositio dubia est, de hac enim quæritur. ⁶ Altera est complexio, non par

¹ *In qua idem concluditur.* Ait quoddam *epicherema* esse, cujus eadem sit propositio & conclusio: quoddam cujus propositio diversa sit à conclusione. *Idem.*

² *Nam quicquid ex seipso movetur.* Argumentatio hæc est Platonis in Phædone. cæterum in hoc genere *epicherematis*, quæstio est *propositio*, reliqua quæ conclusionem præcedunt, pro *assumptione* habentur. *Idem.*

³ *Hoc fit non solum in singulis.* Duplex est *propositio*: altera enim *dubitabilis* est, ipsamque continet quæstionem: altera vero *prior est argumentationis pars*, quæ probat. Illa igitur superior non solum in argumentis locum habet, sed in totis etiam causis, nimirum simplicibus, quæ una propositione comprehendi possunt, non etiam conjunctis, quia non una

propositione comprehendi possunt, sed multis. *Idem.*

⁴ *Et plerunque summa complexione.* Quemadmodum antea dixit duplicem esse *epicherematis* conclusionem, ita quoque scribit duplicem esse *complexionem* in causa: cum præsertim omnis causa contineatur *sylogismo* & *epicheremate*. Fit igitur aut per repetitionem superiorum, ut in *epicheremate*: aut simpliciter concludendo, quod efficitur in causa. *Idem.*

⁵ *Enumerationem.* Platonis argumentatio in Axiocho.

⁶ *Altera est complexio.* Aliquando ita contextitur *epicherema*, ut propositio non videatur esse eadem cum conclusione, potestate tamen & virtute fit eadem. id fit quando id de quo quæritur proponimus, neque argumentationem ad ultimam deducimus conclusionem, sed

in eo

par intentioni, sed vim habens parem. ¹ *Mors nihil ad nos, nam quod est dissolutum, sensu caret, quod autem sensu caret, nihil ad nos.* ² In alio genere non eadem propositio est, quæ connexio. ³ *Omnia animalia meliora sunt quam inanima, nihil autem melius est mundo, mundus igitur animal.* ⁴ Hic potest videri de re contentio. Potuit enim sic constitui ratiocinatio, *Animal est mundus, omnia enim animalia meliora sunt quam inanima.* Cæterum hæc propositio aut confessa est, ut proxima: aut probanda, ut, *Qui beatam vitam vivere volet, philosophetur oportet.* Non enim conceditur. Cætera sequi, nisi confirmata prima parte, non possunt. Est & assumptio interim confessa: ut, *Omnes autem volunt beatam vitam vivere.* Interim probanda, ut illa, *Quod est dissolutum, sensu caret:* cum soluta corpore anima, ⁵ an sit immortalis, vel ad tempus certum maneat, sit in dubio. Quam assumptionem ⁶ alii *rationem* vocant, ⁷ alii *epicherema*. ⁸ *Epicherema* autem nullo

in eo sistimus quod virtute sit idem. *Idem.*

¹ *Mors nihil ad nos.*] Hoc argumentum erat Epicuri. reprehenditur tamen à Plutarcho, quia *major propositio* (à qua vis argumentationis pender) deest, scilicet, mors est dissolutio corporis & animi: defenditur tamen à Gellio lib. 2. cap. 8. Est autem *sortes*, id est, syllogismus acervalis, quando ex primo colligimus ultimum. *Idem.*

² *In alio genere non eadem propositio est.*] Alia species est *epicherematis*, quando id de quo dubitatur non proponitur. tum enim propositio est alia à conclusionis. & hæc vera dicitur *argumentationis propositio*. *Idem.*

³ *Omnia animalia.*] Hæc ratio est Platonis & Stoicorum, qua *mundum animal esse probant*. Progrediuntur etiam ulterius, ut docet Cic. *secundo de natura deorum*, ac docent mundum *sapientem esse, rationalem, deum*. *Idem.*

⁴ *Hic potest videri de re.*] Potest etiam constitui ex hoc *epicheremate* superior argumentandi forma, ut initio ponatur

de quo contenditur. *Idem.* Hic potest videri de re, &c.] Quæ sequuntur desunt omnia in vetust. exempl. usque ad librum VII. cap. de Ornatu, eo loco qui est à nobis notatus. Unde apparet mutila esse illa libris duobus VI. & VII. & dimidia fere VII. parte. *Pirb.*

⁵ *An sit immortalis.*] Plato enim animam existimavit *immortalem*: at Stoici *mortalem* esse putaverunt, non tamen statim cum corpore perire. itaque (ut ait Cicero) usuram illi temporis dederunt, ut *corvis & cornicibus*. Turneb.

⁶ *Alii rationem vocant.*] Vel quod in ipsa collectione, de qua diximus, rationis confirmatio, quæ quidem etiam ratio est, assumptionem facit: vel quod etiam in priori specie *epicherematis*, ratio quæ propositioni subvertitur, *assumptio* vocatur. *Idem.*

⁷ *Alii epicherema.*] Nam Hermogeni *epicherema* est ratio quæ ad propositionem dubitabilem probandam affertur. hoc quoque modo *argumentum* est, non *argumentatio*. *Idem.*

⁸ *Epicherema autem nullo.*] Arbitror inter

nullo differt à syllogismis, nisi quod illi & plures habent species, & vera colligunt. veris epicherematis frequentior circa credibilia est usus. ¹ Nam si contingeret semper controversa confessis probare, vix esset in hoc genere usus oratoris. Nam quid ingenio est opus ut dicas, *Bona ad me pertinent*, ² *solus enim sum filius defuncti, vel solus hæres, cum jura bonorum possessio testati* ³ *secundum tabulas testamenti datur, ad me igitur pertinent?* Sed cum ipsa ratio in quæstionem venit, efficiendum est certum id quod probaturi sumus, quod incertum est: ut si ipsa forte intentione dicatur, *Aut filius non es, aut non es legitimus, aut non es solus.* Itemque, *Aut hæres non es, aut justum testamentum non est, aut capere non potes, aut habes cohæredes.* Efficiendum est justum, propter quod *bona adjudicari nobis debeant.* ⁴ Sed tum est necessaria illa summa connexio, cum intervenit ⁵ oratio largior. Aliquando sufficiunt intentio ac ratio, *Silent leges inter arma, nec*

inter epichere-
ma & syllogis-
mum nihil in-
teresse, nisi quod
rhetores epichere-
ma frequentius usur-
pant & nominant, qui
versantur circa credi-
bilia magna ex parte,
Dialectici autem raro
epichere-
ma nominant, frequen-
tius syllogismum, qui
magis ex necessariis &
veris argumentantur.
atque inde differentiam
epichere-
matis & syllogismi peti-
vit Fab. à materiis
circa quas rhetores &
philosophi versantur,
alioqui concludendi
genere nihil discrepant.
sed & Aristoteli syllo-
gismus est necessarius,
demonstratio, syllogis-
mus probabilis, dialecticus
appellatus, syllogismus
sophisticus qui dicitur
elenchus, ut videatur
epichere-
ma esse syllogismus
dialecticus. præterea
epichere-
ma fufius est & largius.
adjicit enim sæpenumero
propositionis & assump-
tionis rationes & expoli-
tiones: atque hoc videbitur
à syllogismo differre,
cum hæc in syllogismo
raro sint. Species autem
dicit, quas dialectici
modos & figuras. Idem.

¹ Nam se contingeret.] Cum philo-
sophus certis & confessis ad probationem

utatur, fit proinde ut brevius comple-
ctatur syllogismum: at cum orator magna
ex parte probabilibus utatur, rationes
afferre solet suarum propositionum &
assumptionum, nec tam breviter epiche-
rema complectitur. Idem.

² Solus enim sum filius.] Hæc ex hypo-
thesi afferuntur in exemplum tanquam
necessaria, ut doceat in necessariis non
esse opus ingenio oratoris, ideoque ora-
torem circa credibilia maxime versari.
Idem.

³ Secundum tabulas.] Nam interdum
possessio contra tabulas datur à præ-
tore, cum scilicet testamento præteriti sunt
libri: aliquando secundum tabulas, quan-
do scriptis hæredibus datur possessio.
Idem.

⁴ Sed tum est necessaria.] Quando epi-
chere-
ma habet plures rationes & confir-
mationes, illi subjici debet conclusio,
ut intelligatur quid sit effectum: cum
autem rationes desunt & expolitiones,
potest esse enthymematica argumentatio,
ut desit conclusio. Idem.

⁵ Oratio largior.] Pro Milone.

I Rationi

nec se expectari jubent, cum ei qui expectare velit, ante injusta poena luenda sit, quam justa repetenda. Ideoque id enthymema quod est ex consequentibus, ¹ rationi simile dixerunt. ² Sed & singula quoque interim recte ponuntur: ut ipsum illud, *Silent leges inter arma*. Et à ratione fas est incipere, deinde concludere: ut ibidem, *Quod si duodecim tabula nocturnum furem quoquo modo, diurnum autem si se telo defenderet, interfici impune voluerunt: quis est qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet?* Variat autem hic adhuc, & rursus rationem tertio loco ponit, cum videat aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus. ³ Prioris autem partis duxit ordinem: *Insidiatori autem & latroni qua potest inferri injusta nex?* hæc intentio. *Quid comitatus nostri, quid gladii volunt?* hæc ratio. Quos habere certe non liceret, si uti illis nullo pacto liceret. hæc ex intentione & ratione connexio. Huic generi probationis tribus occurritur modis, id est per omnes partes: ⁴ Aut enim expugnatur intentio, aut assumptio, aut conclusio, nonnunquam omnia: sed hæc omnia tria sunt. Intentio expugnatur, *Fare occidi eum, qui insidiatus sit*. Nam prima statim pro Milone quaestio est, *an sit ei fas lucem intueri, qui à se hominem necatum esse fateatur*. Expugnatur assumptio omnibus iis quæ de refutatione diximus. Et ratio quidem nonnunquam est vera, cum ejus propositio vera non sit. Interim veræ propositio-

¹ *Rationi simile dixerunt.* Enthymema à consequentibus simile est *etiologia*, quæ propositionis reddit rationem: *enthymema* enim illud propositionem habet, conjunctamque ei protinus probationem, non item enthymema à repugnantibus, quod duntaxat constat oppositione contrariorum. *Turneb.*

² *Sed & singula.* Aut ait Fabius aliquando singularem & unicam poni partem, ut si quaeratur, *an latronem interficere oporteat*: an auxilium legum expectare, simpliciter dicas, *silent leges inter arma*: aut significat singula ita poni, ut sit inter eum propositio cum ratione:

interdum ratio cum conclusione: interdum propositio, ratio, & conclusio. *Idem.*

³ *Prioris autem partis.* Duplex esse potest sensus: nam aut significat Ciceronem dixisse ordinem prioris argumenti incepisse à propositione; aut significat illam argumentationem proximam produxisse, & alia argumentatione firmasse. *Idem.*

⁴ *Aut enim expugnatur intentio.* Intentio solvitur tribus statibus, aliisque rationibus, de quibus egit in refutatione. Hermogenes ait eam solvi *enstasi* & *antiparastasi*. *Idem.*

positionis falsa ratio est. *Virtus bonum est*, verum est. si quis rationem subjiat, *quod ea locupletes faciat*, veræ intentionis falsa sit ratio. Connexio aut vera negatur, cum aliud colligit quam id quod ex prioribus conficitur: aut nihil ad quæstionem dicitur pertinere. Non est vera, sic, *Insidiator jure occiditur*. nam qui curavit ut vim afferat ut hostis, debet etiam ut hostis repelli. recte igitur Clodius ut hostis occisus est. Non utique. Nondum enim Clodium insidiatorem ostendimus: sed fit vera connexio, *Recte igitur insidiator ut hostis occiditur*. Nihil ad nos. Nondum enim Clodius insidiator apparet. ¹ Sed ut potest esse vera connexio & tamen falsa intentio & ratio: ita si illa vera sunt, nunquam est falsa connexio. *Enthymema* ab aliis ² oratorius syllogismus, ab aliis pars dicitur syllogismi, propterea quod syllogismus utique conclusionem & propositionem habet, & per omnes partes efficit quod proposuit: enthymema tantum intentum intelligi contentum fit Syllogismus talis, *Solum bonum virtus: nam id demum bonum est, quo nemo male uti potest. virtute nemo male uti potest. bonum est ergo virtus*. Enthymema ex consequentibus, *Bonum est virtus, qua nemo male uti potest*. Et contra, *Non est bonum pecunia: non enim bonum, quo quisquam male uti potest: pecunia potest quis male uti: non igitur bonum est pecunia*. Enthymema ex pugnans, *An bonum est pecunia, qua quisque potest male uti?* ³ Si pecunia quæ est in argento signato, argentum est: qui argentum omne legavit & pecuniam, quæ est in argento signato, legavit. Argentum autem omne legavit, igitur & pecuniam, quæ est in argento, legavit. Habebit formam syllogismi. Oratori fati

¹ Sed ut potest esse vera.] Præceptum hoc est ductum ex prioribus analyticis Arist. nam ex propositionibus falsis in recta argumentatione verum sequi potest, nunquam tamen ex veris falsum. Idem.

² Oratorius syllogismus.] Propterea quod oratores sæpenumero & crebrius enthymemate utuntur, quam epichemate,

omissa nimirum aliqua perfectæ argumentationis parte: maximeque à repugnantibus & consequentibus. nam philosophi syllogismo integro utuntur. Idem.

³ Si pecunia.] Superiora exempla erant syllogismorum & enthymematum categoricorum. hoc exemplum syllogismi est, & enthymematis hypothetici. Idem.

¹ Pertraxisse

fatis est dicere, *Cum argentum legaverit omne pecuniam quoque legavit, quæ est in argento.* ¹ Peregisse mihi videor sacra tradentium artes, sed consilio locus superest. Namque ego ut in oratione syllogismo quidem aliquando uti nefas non duco, ita constare totam, aut certe confertam esse aggregationum & enthymematum stipatione minime velim. Dialogis enim & dialecticis disputationibus erit similior, quam ² nostri operis actionibus, quæ quidem inter se plurimum differunt. Namque illi homines docti, & inter doctos verum quærentes, minutius & scrupulosius scrutantur omnia, & ad liquidum confectumque perducunt: ut qui sibi & inveniendi & iudicandi vindicent partes, quarum alteram ³ *τοπικὴν*, alteram *κρίτικὴν* vocant. Nobis ad aliorum iudicia componenda est oratio, & sapius apud omnino imperitos, atque aliarum certe ignaros literarum loquendum est: ⁴ quos nisi & delectatione allicimus, & viribus trahimus, & nonnunquam turbamus affectibus: ipsa quæ iusta ac vera sunt, tenere non possumus. ⁵ Locuples & speciosa vult esse eloquentia: quorum nihil consequetur, si conclusionibus certis & crebris, & in unam prope formam cadentibus concisa, & contemptum ex humilitate, & odium ex quadam servitute,

¹ *Peregisse mihi videor.*] Hac ille in peroratione quadam tradit præcepta vice commonitionis, quæ pertineant ad argumentorum usum: atque hic locus pertinet ad consilium & iudicium, quibus de rebus agit Fab. in fine lib. 6. hic igitur docet aliter argumentari debere dialecticum, aliter oratorem. Idem. *Peregisse mihi videor sacra tradentium.*] Consule si placet I. Casauboni Comment. ad Persii prolog. pag. 18. 19.

² *Nostri operis.*] Opus oratoris vocat orationem, non quamlibet, sed continentem & perpetuam. quanquam nonnunquam orator utitur altercatione post orationem perpetuam: quæ si multitudinem habuerit argumentorum & constipationem, nihil peccaverit. Idem.

³ *Τοπικὴν.*] *Topice* dicitur ea pars dialecticæ, quæ propositis certis locis methodum docet argumenta inveniendi. *Critice* vero, quæ argumenta ipsa in certas argumentationum formas redigit, ut nunquam aberremus, & propositum conficiamus & colligamus. Idem.

⁴ *Quos nisi & delectatione.*] *Dialecticæ argumentatio* simpliciter docet, non item orator cum argumentatur. quare argumenta non debet constipare, ut dialecticus, sed illis admiscere delectationem, & affectum, sæpenumero vero contentionem. Idem.

⁵ *Locuples & speciosa vult esse, &c.*] Quod multis ostendit Melchior sumius Method. Eloquentiæ. pag. 179.

x Non

vitute, & ex copia fatietatem, & ex amplitudine fastidium tulerit. Feratur igitur non seminis, sed campis: ¹ non uti fontes angustis fistulis colliguntur, sed ut latissimi amnes totis vallibus fluat, ac sibi viam, si quando non acceperit, faciat. ² Nam quid lege miserius illa velut præformatas infantibus literas persequentium, & ut Græci dicere solent, ³ quem mater amictum dedit, solícite custodientium? Propositio ac conclusio ex consequentibus & repugnantibus, non inspiret, non augeat, non mille figuris variet ac verset: ut ea nasci, & ipsa provenire natura, non manu facta, & arte suscepta, magistrum fateri ubique videantur? Quis unquam sic dicit Orator? Nonne apud ipsum Demosthenem paucissima hujusmodi reperiuntur? Quæ apprehensa Græci magis (nam hoc solum nobis pejus faciunt) ⁴ in catenas ligant, & inexplicabili ferie connectunt, & indubitata colligunt, & probant confessa, & se antiquis per hoc similes vocant. Deinde interrogati: ⁵ nunquam respondebunt quem imitentur. Sed de figuris alio loco. Nunc illud adijciendum, ne iis quidem consentire me, qui semper argumenta sermone puro & dilucido & distincto, cæterum minime lato ornatoque putant esse dicenda. Nanque ea distincta quidem ac perspicua debere esse confiteor: in rebus vero minoribus etiam sermone ac verbis quam maxime propriis, & ex usu. ⁶ At si major erit materia, nullum ornatum

¹ Non uti fontes angustis fistulis coll.] Vide Jan. Gebhard. Crepund. lib. 3. cap. 5. pag. 113. Ut & Joh. Passeratii Praelection. in Propert. lib. 3. pag. 515.

² Nam quid.] Præcipit Fab. lib. primo, ut literæ insculperentur tabellæ, quo facilius illos ductus literarum & quasi sulcos manus pueri sequeretur, nec aberraret. Idem quoque faciendum suadet Plato in *graphide*. id est, in graphiaria tabella. Turneb.

³ Quem mater amictum, &c.] Proverbium est de his qui ab imbuta semel opinione deduci non possunt, sed qui accepta semel auditaque, qualiacunque

sint, mordicus retinent. *Idem.*

⁴ In catenas ligant.] Reprehendit *rhetores Græcos sophisticas*, oratoresque sui temporis, qui ex imitatione prava Demosthenis, argumenta constipabant & conferebant. *Idem.*

⁵ Nunquam respondebunt.] Qui si responderent se imitari aliquem ex veteribus, ridiculi essent ex dissimilitudine orationis. *Idem.*

⁶ At si major.] Elocutio argumentorum temperanda est ex genere materiae. nam si *gravior erit causa*, elocutio esse debet ornatior & amplior: si *minor*, purior & simplicior. *Idem.*

E e

x Littus

natum his, qui modo non obscuret, subtrahendum puto. Nam & sæpe plurimum lucis affert illa translatio, cum etiam ipsi jurisconsulti, quorum summus circa verborum proprietatem labor est, ¹ *littus* esse audeant dicere, ² qua fluctus eludit. Quoque quid natura magis asperum, hoc pluribus condiendum est voluptatibus: ³ & nimis suspecta argumentatio, dissimulatione: & multum ad fidem adjuvat audientis voluptas. Nisi forte existimamus Ciceronem male in hac ipsa argumentatione dixisse, *silere leges inter arma, & gladium nobis interim ab ipsis porrigi legibus*. His tamen habendus modus, ut sint ornamento, non impedimento.

¹ *Listus esse audeant dicere, qua fluctus eludit.*] Id est, ludendo procedit. ut sit quidam undarum ludus & fluctuum. Passeratius in Propert. p. 512. b.

² *Qua fluctus eludit.*] Hæc definitio est Aquilii jurisconsulti, poniturque à Cicerone in *Topicis*. Justinianus in titulo de rerum divisione paulo aliter definiuit: ait enim littus esse, quatenus maximus

hybernus fluctus excurrit. Turneb.

³ *Et nimis suspecta.*] *Dissimulatio* locum habet inter figuras, ut sequentibus libris docebit. hanc igitur figuratam rationem argumentandi utilem esse ait. Potest & alter esse sensus, ut *dissimulationem* appellet orationem remissam & dissimulatam: de qua egit l. 4. in exordis. Idem.